INSTITUTIONES

LOGICÆ ET METAPHYSICÆ

AUCTORE

R. P. MATTHÆO LIBERATORE S. I.

IN COLLEGIO EIUSDEM SOCIETATIS AD D. SEBASTIANI
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE.

LIBER PRIMUS


LOGICAM COMPLECTENS

> Φιλοσοφίαν δὲ ὐ τὴν Στωϊκὴν λέγω, ουδὲ τὴν Πλατονικὴν, ἤ τὴν Επικούρειον τε, καὶ Αριςοτελικὴν. αλλ' ὅσα ἔιρηται παρ' ἑκάςῃ τῶν αἱρέσεῶν τουτῶν καλῶς, δικαιοσύνην μετ' ευσεβοῦς ἐπιςήμης ἐκδιδάσκοντα, τοῦτο σύμπαν τὸ ἐκλεκτικὸν φιλοσοφίαν φημί.
>
> Κλημ. 'Αλεξανδ. στρωμ. β. α'. ζ'.

NEAPOLI

EDEBAT RAPHAËL TRAMATER

MDCCCXL.



LECTORI MONITUM

Opus brevi properatum tempore in lucem proferre adducor ea permotus auctoritate, cui me obnitentem esse non licuit. Quae nimirum duobus ab hinc annis lucubrare et simul in schola tradere adolescentibus coeperam: hic paululum expolita, non tamen, ut par erat, undique limata et absoluta comperies. Nil quidem praeclari, aut, quo eruditi et docti iuventur, prae se hi ferunt libelli; at complectuntur ea, quae ad iuvenum informandas mentes, tanquam lac in os puerorum inserendum, fore duximus aptiora. Qua in re si non ingenii et doctrinae (quae duo quam exigua in me sint sentio) laudem merear: at videbor certe benevolis et prudentibus aliquid pro meo modulo contulisse ad adolescentium sanam institutionem; in qua Societatis et Religionis bonum maxime vertitur, et quo pro virili parte adniti susceptae a me vitae ratio vehementer postulat. Is me finis ad hunc qualemcunque laborem illexit; quem utrum quantum oportuit sim adeptus aliorum sit iudicium: mihi certe in re tantae utilitatis, et divinae gloriae plena et voluisse, imo etiam conatum esse sat erit. Da veniam: vale.

AD PHILOSOPHIÆ AUDITORES

PRÆFATIO PARÆNETICA.

Qui optimarum artium disciplina mentes adolescentium erudiendi perdifficile onus assumit: is non omnia ad arbitrium sibi fingere, sed semina naturae, prout sensim vi innata promoventur, sequi atque artis praesidio excolere plane debet. Quemadmodum igitur hactenus vos, dum vividiore imaginandi memorandique facultate excellebatis, liberalium literarum ac poesis studio exerceri oportuit: ita nunc maturiore aetate perfecta satis intelligentia, ratio, acumen ad sapientiae limen iubet accedere. Quod periucunde vobis contigisse arbitror, adolescentes; si dulce quidem est erranti post longas emensas vias ad exitus tandem optatos pervehi. Sapientia enim sublimis ille finis et meta est, ad quam ingenito pondere bene a natura informatus animus potissimum rapitur: ea est ad quam labores iam ab unguiculis suscepti spectabant; quaeque humanae perfectionis apicem propemodun attingit. Non enim qualescunque animi vires, sed mentem ipsam, optimum nimirum illud, ac omnium, quae in nobis sunt, praestantissimum exornat et perficit: quo solo et a brutis secernimur animantibus; et cum nobilioribus Intelligentiis affinitate coniungimur; et Divinitatis ipsius expressam quandam vivamque imaginem repraesentamus; et rebus omnibus, quae tellure gignuntur et vigent, dominorum instar, et, si ita loqui fas est, ὡς θεῶν ἐπιγείων imperamus. Quocirca ab veritate me haud longe iturum puto, si Philosophiam caeteris disciplinis, in quas antea incubuistis, tanto praestare dixerim; quanto domina ancillis, princeps subditis antecellit. Atque haec praecipue causa non inscite diceretur, cur natura eo gradu vires animi, succrescentibus annis evolvi perficique voluerit: ut prius quae aliis, quam, quae philosophiae deservirent studio, explicarentur. Decens quippe erat ut non antea Princeps hospitio reciperetur, quam regia supellectili regioque ornatu tum expeditis atque ad parendum circumfluentibus ministris domus haec mentis nostrae instrueretur. Vobis itaque iure optimo gratulandum censeo, atque ad augendam solertiam cohortor ma-

xime. Neve arduitate laboris (si discendi labor est potius quam voluptas) quaeso vos deterreamini; quando vetus fert proverbium: πάντα τὰ καλὰ χάλεπα; ac quo magis in rebus quibusque optimis enitendum erit, atque adlaborandum: eo delectabilior fructus exquisitiorque decerpi solet. Enimvero excelsos animos minimeque humi repentes illud Propertii meminisse oportet: non iuvat ex humili lecta corona iugo. Quod vero mearum est partium, id vobis spondeo me, divina aspirante gratia, cum doctrinae delectu, pro quo maxima in praesens philosopho debet esse contentio, facilitatem etiam iuvenili captui accomodatam sociaturum esse diligenter. Quamobrem in veritate a suis abstrusis reconditisque latebris educenda, ipsaque dilucide, sed breviter, explananda tum in adversis erroribus repellendis industriam laborem vigilantiam, quoad potero, maximam non praetermittam. Quod si vicissim in vobis alacritas et diligentia curae meae respondebit: non dubito quin ex hisce studiis ea faenora, quae et vestra utilitas, et parentum patriaeque expectatio et mea spes postulat, sitis consequuturi.

INSTITUTIONUM

LOGICÆ ET METAPHYSICÆ

LIBER PRIMUS

PRAENOTIONES UNIVERSAM SPECTANTES PHILOSOPHIAM.

CAPUT UNICUM

1. Cum mihi proposuerim perspicuitati potissimum, ordinique consulere, consentaneum iudico, ut, antequam ad singulas philosophiae partes condiscendas veniatis, vestibulum ante ipsum primoque in limine disciplinae ad universam philosophiam, eiusque veluti externam contemplandam formam vos convertam. Sic qui ad aedificium aliquod spectandum accedit, prius exteriorem eius speciem, dispositionemque partium diversarum, et situm collustrat oculis; deinde atrium introgressus ad partes singillatim considerandas gradum facit. Age vero quae generatim philosophiam attinent, ea ad quinque veluti interrogandi genera reduci possunt; 1. Ut ejus descriptio, obiectum, finis, necessitas explicetur; 2. Ut quam originem quasve vices habuerit, enarretur; 3. Ut partes, quibus constat, numerentur, noteturque ordo in his servandus; 4. Ut qua methodo tutius procedendum sit innuatur. Quocirca quatuor articulis προπαιδευτικη haec pertractatio continebitur.

ARTICULUS PRIMUS

De Philosophiae definitione, obiecto, fine, necessitate.

2. Philosophia, seu sapientiae studium (hoc enim latine sonat) a Pythagora primum nomen accepit (1); idque, utpote mo-

(1) Pythagoram fuisse huius nominis inventorem, cum antea, qui in naturae contemplatione ponebant operam, non sapientiae studiosi sed sapientes appellarentur, testis est Cicero Qq. Tusc, l. 5.

destiae , et veritatis plenum , omnium fere gentium suffragio dedicatum est. Et sane si ad naturae scientiam comparandam, et tempore diligentiaque indigemus , nec absoluta undique notitia potitur quisquam : rerum contemplatio ; cui homo vacat, non tam sapientia , quam nisus in eam, amorque sedulus vocari debet. At quamvis inter omnes de nomine philosophiae conveniat; tamen de definitione , quae rem nomini subiectam describat , dissidentior aliquanto sententia est. Aristoteles enim eam esse voluit (1) : *cognitionem rerum , uti sunt* , seu per causas ; res enim quaelibet suis causis continetur. Wolfius (2), cognitione humana in historicam, mathematicam , et philosophicam distributa , philosophiam describit : *scientiam possibilium, quatenus esse possunt.* Genuensis (3) : *rerum aeternarum factarum et possibilium, earumque causarum, finium, relationum, usuum scientiam.*Galluppius (4): *scientiam cogitationis humanae:* alii *scientiam veri et boni* : alii *scientiam elementorum cogitationis humanae*, alii aliter definiendam existimarunt. Mihi a celebri illa discedendum non videtur, qua iuxta Tullium Philosophia definitur: *rerum divinarum, et humanarum, causarumque, quibus hae res continentur, scientia* (5). Aliae siquidem aut rem eamdem obscurioribus, vagantioribusque vocibus exprimunt, aut Idealismo , quamvis invitis auctoribus, favere videntur. Nostram autem esse legitimam , vel ex eo dilucide patet , quod si Bacone teste philosophiae obiectum triplex est : ***Homo*** , ***Natura, Deus*** ; eaque partitio philosophis omnibus solemnis habetur : profecto ea scientia , quae in hoc triplici versatur obiecto , philosophia dicetur. At quid aliud hoc est , nisi philosophiam esse scientiam asserere, quae de rebus humanis et divinis , tum de causis , quibus illae constant, inquirat ? Nec eorum pertimescenda obiectio est , qui oggerunt Tullianam descriptionem nimis esse vagam , quippe quae omnes disciplinas, atque artes complecteretur. Nam reponimus id in primis posse contra ipsos etiam retorqueri ; quandoquidem ipsi , cum philosophiam *scientiam cogitationis humanae* definiunt , certe nomine *cogitationis* non modo cogitandi actum , verum etiam et obiecta , circa quae ille versatur , usurpant ; secus non philosophiam, sed ideologiam dumtaxat, quae pars eius est , definirent. Atqui actus cogitandi omnia prorsus spectare potest. Ergo et haec definitio eodem vitio , quod in nostra arguebatur , inficitur. Deinde omnino inficior adstructa a no-

(1) Metaphys. l. 1. c. 3.
(2) Discurs. praelim. de phil. in genere. c. 2.
(3) Artis log-crit. Prolegom.
(4) Lezioni di Log. e Met. Tom. I. lezione 2.
(5) De Officiis l. 2. c. 2. Quae descriptio , etsi a Tullio hic et alibi sapientiae revera , veterum sententia , tribuatur ; tamen notum est ab eodem id ipsum , quod veteres *sapientiam* nominabant, pro philosophia usurpari , retento nomine per Pythagoram invecto. Id potissimum constat ex initio primi libri Qq. Tusc. ubi haec habet verba « *studio sapientiae quae philosophia dicitur* » tum etiam ex l. v. quem proinde videsis.

bis definitione artes etiam contineri : eas enim aperte scientiae nomen excludit , quae non quibusque rerum notitiis constat , sed iis tantum , quae et certae sint , et evidentes , et legitima comparentur demonstratione. His itaque reiectis, caeterae disciplinae, quae scientiae dicuntur et sunt , iure optimo ad philosophiam ceu partes revocantur , ut suo loco dicetur ; idque accuratiorum philosophorum semper tulit sententia, quamvis in institutionibus nunquam ad singulas partes devenitur , sed iuxta generaliorem divisionem elementa quaedam exhibentur , quae strictiori ratione nomine philosophiae comprehenduntur.

3. Ex his , quae disputavimus , patet obiectum philosophiae esse quamlibet veritatem , quae ex principiis naturalibus ratiocinationis ope erui potest. Quod non intelligendum perinde, atque philosophia ad omnium veritatem reapse pervenerit , vel sit unquam perventura , sed quatenus circa quamlibet veritatem versari possit. Perfectus enim sapiens , ut scite Cartesius et Wolfius notant, alius revera non est nisi Deus : cognitio autem humana inter absolutam scientiam et omnimodam ignorantiam medium quoddam tenet iter. Qua in re praeclare Lactantius (1)» Alii putaverunt, *inquit*, sciri posse omnia, hi sapientes utique non fuerunt, alii nihil, ne hi quidem sapientes fuerunt. Illi quia plus homini dederunt , hi quia minus. Utrisque in utramque partem modus defuit. Ubi ergo sapientia ? Ut neque te omnia scire putes , quod Dei est , neque omnia nescire , quod pecudis » Denique finis , quem philosophia spectat in veritatis notitia, morumque honestate reponitur, et, quod consequens est, in hominis beatitate. Unde sapienter admodum Plato in Gorgia asseruit , nullam aliam homini esse causam philosophandi , nisi ut beatus , ac felix evadat.

4. Sequitur ut de necessitate philosophiae dicendum sit : quae quidem non recondita aliqua ratione cernitur, sed in promptu est omnibus. Nam si res quaevis ad semet perficiendam necessario nititur ; atque ad actiones sibi consentaneas, nisi quid obstet , vi naturae rapitur : intelligentia ratioque humana, a pervestigatione rerum , ex quarum notitia perficitur, prohiberi non potest. (2)

(1) Divin. Instit. l. 1. c. 6.

(2) Eloquenter expressit hoc Cousin, cuius haec sunt verba » Philosophia non est inanis delirii partus , sed necessaria cogitationis evolutio. De hoc in primis convenire oportet. Numne philosophia aliud non est quidquam , nisi traditio chimerarum enatarum aliquando ex delirio quorumdam hominum praecellentium : quae diffusae sint in mundo propagatae et retentae eorumdem exempli auctoritate : an illa potius legitima est humanitatis filia ? Propria ne est Platonis dumtaxat et Aristotelis , an ad ipsum humanum animum pertinet ? Non est nisi libido luxusque cogitationis, an fundamentum habet in natura , quae communis omnibus est, et , quod consequitur, habet ne illa locum in complexu cognitionum humanarum , eiusque historia in seriorum numero haberi debet ? Eiusmodi praeliminaris quaestionis examen peculiare subiectum erit lectionis huius. Principio sciamus oportet, utrum huc adducimur , vos vana curiositate capti , ego habitudine sim-

In philosophiam igitur, quantum cuiusque conditio, ac vis ingenii fert, mens humana erumpit necessario. At quoniam in toto hominum genere deesse nequeunt, qui acriori polleant intelligentia, nec ita aliis muniis distineantur, ut naturam contemplari non vacet; ex humana multitudine fieri nequit, quin philosophi, et philosophia enascantur. Quod si ratione alia necessitas haec consideratur, non minus apparet. Homo enim ad beatitudinem tendit, honesteque vivendum; ex quo tamen perversis, quae sensibus oriuntur, cupiditatibus deterretur. Quare ut equos domitoribus tradi, sic eum effraenatum animi perturbationibus, in gyrum veluti rationis, et doctrinae duci oportet, ut perspecto fine a natura proposito, quidve sibi decorum sit, quidve turpe, ad virtutis normam so suasque actiones temperet. Id autem in naturae ordine qui fiet, nisi homines extent praecellentes, qui sapientiam adepti, suam caeterorumque vitam, moresque documentis accommodis informare nitantur? Quid vero dicam, si homines, non quoad naturam tantum, sed prout civitatem constituunt, cogitemus? Societatis perfectio, civilisque cultus ex disciplinarum, artiumque incremento enascitur; hisque remotis, non tam hominum congregatio, quam potius lustra ferarum habentur. Atqui, teste Tullio, (1) philosophia est *laudandarum artium omnium procreatrix*, *et quasi parens*; disciplinae autem caeterae, scientiaeque, vel eius sunt partes, vel ab ipsa tanquam ex fonte rivuli scaturiunt. Quamobrem maximus usus est philosophiae ad finem, perfectionemque civitatis, quae difficile dictu est, quantopere ex illa decoretur. Cui argumento accedit, quod si res quaevis iisdem causis servatur incolumis, et augescit, quibus

plici: an reapse nos labores simul una conferimus, non ut circa chimeras plus minus ingeniose torqueamur, sed ut excelsiori satisfaciamus necessitati, quae non minus, quam caeterae, realis est; et ipsi humanitatis naturae indita? — La philosophie n'est pas le produit d'une vaine réverie, mais le développement nécessaire de la pensée. C'est sur quoi il faut s'entendre avant tout. La philosophie n'est-elle qu'une tradition de chimères écloses un jour des rêveries de quelques hommes de génie, repandues, dans le monde, propagées et maintenues par l'autorité de leur exemple, ov est-elle la fille légitime do l'humanité? Appartient-elle seulement à Platon et à Aristôte, ou à l'esprit humain lui-meme? N'est-elle qu'un caprice et un luxe de la pensée, ou a-t-elle son fondement dans la nature qui nous est commune a tous, et par consequent a-t-elle un rang dans l'ensemble des connaissances humaines, et son histoire est-elle une chose sérieuse? L'examen do cette question préliminaire sera le sujet spécial de cette leçon. Il faut d'abord, Messieurs, que nous sachions si nous sommes amenés ici, vous par une curiosité vaine, moi par un simple habitude, ou si en effet nous mettons nos efforts en commun, non pour tourmenter plus ou moins ingénieusement des chimères, mais pour satisfaire un besoin plus élevé, mais aussi réel que tous les autres, et inherent a la constitution même de l'humanité. (Cours do philos: Introd. a l'hist. de la philos. premiere leçon.)

(1) Libro I. De Oratore.

gignitur, nonnisi per philosophiam respublicae sartae tectae servari, novaque incrementa naturae cursu queunt nancisci; a qua primitus constabilitae fuerunt, aequisque legibus instructae. Quid plura? Ipsa orthodoxa, et supernaturalis Religio, etsi philosophia absolute non egeat, ea tamen non mediocriter delectatur, iuvaturque. Haec enim dum Dei notitiam praestat, aperitque officia, quibus erga supremam omnium causam devincimur, planum veluti ad Fidem sternit iter. Itemque, cum nonnulla, quae Religio tradit, naturali roboret ratiocinatione, puta, animi spiritualitatem, immortalitatem, vim liberam, hominum imbecillitati opitulatur, eosque firmiores reddit in Fide. Denique cum haereticorum, incredulorumque sophismata ex naturae penu deprompta dissolvat, id facit, quod defensionis Fidei non parum interest. Quod acerrimus ille Cristianae Religionis hostis Iulianus cogitans, haud validius se Fidem impetere posse putavit, quam si studium scientiarum Christianis interdiceret. Quapropter mirandum non est, si Ecclesia verae Philosophiae studium constanter promoverit, Ecclesiaeque patres, ac doctores, non modo excellentis ingenii magnitudine, sed etiam praeclara eruditione ornati, atque doctrina, ut clarissima scientiarum sydera emicuerint. Qua in re praetermittere non possum Cousinianam (1) audaciam, aliorumque ex recenti Gallicorum Eclecticorum schola, qui inter Religionem, et Philosophiam iuges inimicitias exerceri asserunt, atque huius incrementa ab illa assidue praepediri. Quae calumnia turpissima vel inde reiicitur, quod veritas veritati non opponatur, sed amico potius foedere societur, licet naturale lumen, utpote inferius, supernaturali subiici debeat, ab eoque, ne erret, temperari. Probatio autem, quam Cousin ex historia desumit, nimis inconsiderate profertur. De profana enim religione Gentilium conceditur id quidem, at nemini mirum videri debet, cum illa non ex veritate, sed perabsurdis fabellis, quae philosophiae lucem pati non possent, conflaretur. Verum orthodoxa religio, quamquam delirantium placita (quod veritatis indicium est) damnaverit, coargueritque eos, qui temerarias, vel nondum evidentes hypotheses pro certis haberi vellent: tamen prudentem, verecundamque sapientiam semper suo fovit patrocinio; quod qui neget, eum vel animi pravitate abduci, vel peregrinum in historia esse oportet. Sed hac de re alio in loco fortasse plura. Hic dumtaxat alium perniciosum perstringamus errorem, eorum nempe, qui ad nauseam usque declamant philosophiam e iugo Religionis emancipari debere, eamque tandem emancipatam esse gratulantur. At his, ut in aliis permultis, ita etiam hac in re, ne id quidem, quod proferunt, intellectum reor. Quid enim oratio isthaec sibi velit? Num decernunt in rebus philosophicis non ex auctoritate ac principiis revelatis, sed argumentis naturali lumine cognitis esse procedendum? At in hoc nihil novi afferunt; id siquidem sapiens quisque iugiter sensit, improbarique eos, si qui fuerunt, debere fatemur, qui contra fecerint. Sed non

(1) Histoire de la phil. du dix-huit. siècle t. 1. Leçon deuxieme.

hac interpretationis lenitate sententiam suam, quam ceu novam, repertamque liguriunt, mollire debemus; quae revera hoc contendit: philosophos, quicquid doceant iure an iniuria, indemnes irreprehensosque a Religione servari oportere. Quod dum statuunt, delirare se manifestant. Nam si Religionis intemerata ac inconcussa veritas, ut a frugi scientique viro concedi debet, concedi velit: elucet aperte posse eam, imo debere in eos errores animadvertere, quos forte humana ratio, quae falli potest, offendit aliquando: ut veluti pia mater aberrantes filios ad callem reducat sapientiae. His igitur expositis, quanta sit philosophiae necessitas, atque utilitas intellectum puto; a qua si quando damna potius in Religionem, et genus hominum dimanarunt, id humanae imbecillitati, ac malitiae, quae rebus quibusque optimis abuti potest, non philosophiae tribuendum ingenio est.

ARTICULUS SECUNDUS

Philosophiae historia perbrevis.

5. Si, quemadmodum supra diximus, philosophia non fortuitum quoddam inventum est, sed rationis germen ab radice pullulans necessario, quae ipsi humano generi inhaereat: fieri certe non potuit, ut diutissime in homine desideraretur: sed mature admodum, utut incompleta, enasci debuit. Quod eos refellit, qui rati philosophiae parentem in *reflexione* reponi; segniora nimis illi largiuntur exordia, perinde quasi humanum genus, reflexione tamdiu carere debuerit. Imo si ad rationem philosophiae non lentum progressum, ex propriaque ortam industria vestigationem requiramus, sed evidentem rerum scientiam per naturales causas explicatam sufficere intelligimus: eam ipsi mortalium primo a Deo infusam fuisse pro certo haberi debet. Deus enim est providus, nec ei, quem adulta certe aetate, et tamquam universae generationis hominum parentem condidit, tantum scientiae negare potuit, quantum non modo ad consentaneam filiorum disciplinam, sed etiam ad se tuendum, dirigendumque necessarium videbatur. Quae sententia inde etiam robur accipit, quod si ad antiquissimas aetates, quae, utpote rerum primordiis propinquiores, earumdem aperiunt originem, regrediamur: philosophica theologicis confusa dogmatibus, et veluti implicita reperimus; atque ita philosophiae non humanum ex naturae vestigatione profectum, sed divinum ex traditione habitum suadetur initium. Haec quidem inculcat ratio. Monumenta vero et historiae incunabula philosophiae in Oriente fuisse testantur: qua de re inter omnes fere eruditos opinio convenit. Earum gentium Chaldaei potissimum, quos Cicero (1) *antiquissimum doctorum genus* appellat, Ægyptii, Persae, Indi praestiterunt; ipsorumque doctrina μύθοις implexa corpus unum cum Religione confla-

(1) De Divinatione cap. I.

re videbatur ; atque de natura Deorum , origine mundi , moribus hominum fere unice disserebat. Sapientum vetustissimi memoria praecipue celebrantur e Chaldaeis Zoroaster, ex Ægyptiis Trismegistus , apud Persas Zoroaster alius , apud Indos Buddas ; quibus adiungi possunt Confucius Sinensis, Sanchoniaton Phaenicius , Zamolsis Scytha , aliique penes alias gentes non pauci.

6. Inter Orientales nationes peculiari mentione digna est Hebraeorum gens , quae utpote paternarum traditionum studiosissima , sacrorumque librorum ornata institutis, prae reliquis populis abundavit sapientia. Nec vero audiendus est Brucker, qui proprie philosophos in ea extitisse negat, etsi permultos vere magnos, et doctissimos , politicaeque prudentiae eruditos floruisse fateatur. At quaro philosophi nomen Moysi ex g. et Davidi , praecipueqne Salomoni, qui sacris literis testantibus (1), *disputavit super ligna a cedro, quae est in Libano usque ad hyssopum, quae egreditur de pariete , et disseruit de iumentis, et volucribus , et reptilibus , et piscibus*, negandum sit , ego saue non video. Non enim ad philosophiae naturam pertinere iudico , ut ne verae Religionis documentis , divinoqne iuvetur afflatu , quod quidem lenones melius quam philosophi velle videntur. Atque haec quidem de Orientalibus : de Occidentalibus vero, quorum vetustatis memoriae silent magis, illud unum notatu dignum videtur quidem: Hetruriam scientiarum laude iam ab antiquissimis clarescentem temporibus apud eruditos haberi: ita ut nonnulli merito dubitent, utrum haec Orientalibus ipsis debeat anteponi.

7. Ex Oriente philosophia migravit in Graeciam, quo feliciori insita solo , fructus eos protulit, quos iure omnis mirata est aetas. Omnium veterrimi , qui proprie scholas fundarunt Thales habetur , et Pythagoras, primus e Mileto, alter e Samo. Iam ille postquam celebriores orbis plagas peragrasset, in Ionia docere publice coepit ; hic , post diuturnam peregrinationem , ingentem doctrinae vim adeptus Italiam appulit , ac Crotonae in sinu Tarentino urbe posita gymnasium aperuit. En itaque celeberrimae illae duae et primae philosophorum haereses , Ionica una , altera Italica , quibus subinde tertia accessit nimirum Eleatica, Xenophane auctore , quae ex Italica omnium maturrime profecta est. Ex hac porro manavit Atomistica , duce Leucippo , eiusque auditore Democrito. Ut harum sectarum variam innuamus indolem , Ionica , quae ad naturam spectabilem contemplandam maxime contulit operam, empirismo fuit propensior : contra Phythagoras, excelsiori animo utens, rationalismo atque idealismo studuit , tum Mathesim magno opere excoluit. Eleatica, Italicum idealismum praetervecta, et in rerum vestigandam originem incumbens potissimum, in idealem quemdam pantheismum recenti Germanorum vix absimilem delapsa est, cui Atomistica effraenum sensualismum et empirismum opposuit. At processu temporis , occasione praesertim dissidentium

(1) Libr. 3 Regum. c. 4. v. 37.

opinionum, philosophia in sophisticam degeneravit, apparentem nimirum sapientiam quorumdam, qui non tam re, quam nomine essent philosophi, omnia tamen se scire profiterentur.

8. Atque in tanto discrimine philosophiae orbi Socrates tandem illuxit, qui ut cum Tullio (1) loquar *philosophiae parens* iure dici potest. Is incredibili ingenii magnitudine praeditus Sophistarum conatus perditos vindicavit, et non tam doctrinae summam conflans, quam germanam philosophandi tradens methodum ingenia praeclara, quibus tunc Graecia erat refertissima, in tutum adduxit, atque in morali excolenda tantam vim posuit, ut iure asserere potuerit Tullius (2): *a Socrate omnem, quae est de vita, et moribus, philosophiam manasse.* Ex tanti viri disciplina innumeri enati sunt sapientes, quorum alii in gerenda republica, alii in promovenda philosophia operam collocarunt. E quibus Aristippus Cyrenaicae Scholae auctor, Euclides Megarenensis, Phaedo Eliensis, Antistenes Cynicae (unde Stoica deinceps Zenone duce manavit) potissimum recensentur. At nemo ex his comparandus est Platoni, qui, Socratis mentem plus caeteris assequutus, Academiam instituit; talesque ingenii sui partus edidit, quos nulla unquam interimet aetas. Ad cuius praecipue laudes illud pertinet, quod eduxerit Aristotelem Peripateticae sectae auctorem, qui una cum Platone omnes vetustatis sapientes facile superavit. Hos inter id discriminis interiectum videmus, quod ubi Plato in rationalismum inclinet magis, Aristoteles contra in experientiam et analysim. Caeterum in plerisque adeo consonant, ut Cicero utriusque peritissimus asserere non dubitarit (3) » philosophiae forma instituta est Academicorum et Peripateticorum, qui rebus congruentes nominibus differebant.» Sub id temporis exorsus est etiam Pyrrho, qui prima scepticismi iecit fundamenta, et Epicurus, qui Atomisticae Scholae placitis Cyrenaicorum voluptatem, in qua finis ultimus hominis reponeretur, copulavit; quamvis nonnulli turpitudinem hanc ab Epicuro in asseclas detorquent, illum de voluptate non sensili sed morali loquutum interpretantes.

9. Caeteris successu temporis sectis extinctis, quatuor tantum: Academica, Aristotelica, Stoica, Epicurea florebant, cum Graeca philosophia in caeteras etiam gentes coepta est propagari. Roma potissimum et Alexandria notatu sunt dignae: quarum prima inter alios quamplures Senecam in Stoicis, Lucretium in Epicureis, Tullium in Aristotelicis simul et Platonicis (utraque enim doctrina, imo et Stoica etiam, in morali praesertim, delectabatur) enumerat: altera vero duabus exortis sectis Eclecticorum una, alia Neoplatonicorum inclaruit. Porro Eclecticae initium fecit Potamon; sed alia longe praestantior eclectica philosophandi methodus auctores habet Ecclesiae Patres tum eos, qui, gymnasio in ipsa Alexandria con-

(1) Lib. 2. de Finibus.
(2) Qq. Tuscul. 3.
(3) Tuscul. 1.

stituto, publice docuerunt, ut Athenagoram, Panthenam, Clementem Alexandrinum, Originem, tum eos, qui alibi privatim philosophati sunt, ut Justinum, Eusebium, Arnobium, Irenaeum, Augustinum, aliosque permultos; qui non, ut nonnullis falso arridet, Platonici, sed revera eclectici putandi sunt. Neoplatonismus vero seu Platonismus mysticus, Ammonio Sacka duce, eo animo excogitatus est, ut christianae Religioni in dies se propaganti agger obiiceretur, pestilentique doctrina ex Platonis potissimum et Pythagorae placitis, ad mysticum sensum male detortis, conflabatur. Praestantiores illinc prodiere Plotinus, Porphyrius, Iamblicus, Plutarcus, Proclus. Sub eamdem fere aetatem, qua Eclecticismus coepit, Anesidemus, et paulo post Sextus Empiricus duo, post Pyrrhonem, scepticismi propugnacula floruerunt.

8.° At ingruentibus bellis et barbarorum in imperium Romanum incursibus, philosophiae studium, quaemadmodum caeterae etiam disciplinae, fere prorsus occubuit. Sunt haec saecula, quae barbara vocant; donec Caroli Magni opera studium scientiarum sensim et pedetentim occepit redintegrari. Exorditur exinde aetas Scholasticae philosophiae, sic appellatae, quod universim in scholis traderetur; quae tamen tunc adolevit, cum saeculo undecimo ac duodecimo homines qui philosophiae vacarent, in Aristotelis doctrinam ab Arabibus in Hispania diligenter excultam labores et studia contulerunt. Maximum tamen incrementum accepit ab incredibili illo ac vere divino D. Thomae ingenio, qui decimo tertio salutis saeculo Aristotelis philosophiam omni errore purgavit, profundissimis auxit commentariis, atque ad religionem contra incredulos tuendam cum fide optime conciliavit. Innumeri sunt non modo sapientia verum et sanctitate praestantes, qui tum ante D. Thomam, tum maxime post, prodierunt. In hoc numero haberi debent D. Anselmus, Petrus Lombardus, Joannes Gerson, Alexander Alensis. Albertus Magnus, D. Bonaventura, Cardinalis Caietanus, Dominicus Soto, Franciscus Suarius, Cardinalis Bellarminus, Cardinalis de Lugo, et fere generatim quotquot quinque et amplius saeculis, quibus scholastica dominata est, sapientiae ac eruditionis laude emicuere. Qua in re cordatus nemo a nota temeritatis Bruckerum defendet qui generatim omnes scholasticos sapientes e philosophorum albo expungendos putat, de ipsis sic scribens (1) » Nos praetermissis caeteris hoc unum notamus, negari non posse philosophos et, qui reipsa coincidunt, Theologos scholasticos eo nomine, quamvis subtilissima essent ingenii acie praediti, pro veris philosophis haberi non posse, quod erepta libertate philosophandi omni servire curiae Romanae et ad eius palatum totam philosophiam suam componere coacti fuerint. Nunquam inspexisse oportet ius canonicum qui haec negaverit. » Enim vero numquam inspexisse eorum libros Bruckerum etsi virum

(1) Hist. Crit. phil. a Christo nato ad nostra tempora per. 2. par. 2. lib. 2. Cap. 3. Sec. 2.

caeteroquin eruditissimum, vel, quod verosimilius etiam videtur, ex odio in Catholicam Ecclesiam ea protulisse crediderim facile. Caeterum ad eius calumniam propulsandam satis superque est vel unius D. Thomae Aquinatis egregia scripta aut Suarii Metaphysicam perscrutari, quae quodcumque iudicium subeant, negari nequit quin inter summorum philosophorum opera debeant cooptari ; nisi impiam quandam ac sacrilegam blaterandi licentiam tanquam philosophi tesseram Brucker expostulet. Verum in homine heterodoxo sensa huiusmodi miranda non sunt, mirandi potius nostrae aetatis homines hortodoxi, qui nullo diligenti rerum examine usi, sed huius historici fere in omnibus fidentes testimonio, his vel similibus inepte delectantur aculeis. Enim vero si prudenter volumus iudicare sicut negari non potest in libris scholasticorum ea vitia comperiri, ad quae eos temporum illorum conditio detrudebat: sic fateri cogimur egregia quamplura solide acuteque disputata ex eiusmodi hauriri fontibus. Audiatur ipse Cousin qui etsi alias, latenter quamvis , sibi contradicere videatur (quod vitium in hoc auctore, caeteroquin eloquenti et saepe acuto , non semel reprehendes) : tamen de scholasticis sic loquitur (1) » Ego a contemnenda scholastica longe sum ; eam quin imo maximi facio , Leibnitii exemplo , qui dicebat se ibi aurum reperisse. Impossibile prorsus est Scholasticis vividius habere ingenium , aut plus acuminis prodere , plus dexteritatis , plus consilii ex tempore capiendi in argumentando , plus illius ingeniosae analysis quae dividit, subdividitque, plus synthesis illius quae plurimum ad recensendum et ordinandum valet. Pauca offendes nomina quae maiori veneratione commemorari sint digna, quam nomen Scholarum angeli D. Thomae Aquinatis , cuius opus *celebris summa* ratione formae instar miraculi humani ingenii iure habetur. »

9. Venio nunc ad tempora innovationis philosophiae , in qua triplex genus hominum distingui debet. Alii enim contra scholasticam aliquid novitatis dumtaxat moliti sunt; alii , eam aperto bello petivere ; sed tamen irrito; alii denique eam sua sede ac statu dimoverunt. Inter primos praecipui habentur Raymundus Lullius Hispanus , et Laurentius Valla Italus; inter secundos tres potissimum Brucker enumerat, Brunum , Cardanum, Campanellam, quorum ingenia ἑτερόκλιτα appellat , nec tanti facit quanti nonnulli nostrae aetatis leviter eruditi facere videntur ; praesertim Brunum , quem , etsi acri ingenio atque incredibili imaginatione instructum dicat ,

(1) Je suis loin de mépriser la scolastique j' en fais même grand cas à l'exemple de Leibnitz, qui disait y avoir trouvé de l'or. Il est impossible d'avoir plus d'esprit que les scholastiques, de deployer plus de finesse, plus d'habilité , plus de ressources dans l'argumentation , plus de cette analyse ingénieuse qui divise , et subdivise , plus de cette synthése puissante qui classe , et ordonne. Peu de noms meritant d'être prononcés avec plus de respect que celui de l'ange de l'ecole de saint Thomas d'Aquin, dont l'ouvrage, la célébre somme, est par la forme un des chefs — d'oeuvre de l'esprit humain. (Hist. de la phil. tom. 1. lecon. 2.)

tamen sic pingit (1) » Verum enim vero obstabant infelici philosopho iudicii paupertas, imaginationis lascivia, et ineptus mos consarcinandi veterum hypotheses, ut novam philosophiam effingeret, quae inde monstrum magis, quam aptum et rationale systema prodiit. Nempe systemate atomistico, veterum potissimum scholae Italicae, cum systemate emanativo coniuncto, usurus, cum videret Pythagoreos utrumque etiam sequi, et novum tamen dare vellet, eiusmodi φιλοσοφούμενα dedit, quae dum nova affectat, partim obscura, incerta et nihil significantia sunt, partim intolerabilia, absurda, et, si verum dicendum, interdum impia » Huic numero accenseri etiam possunt Telesius, Ramus, Paracelsus aliique qui saeculo decimosexto scholasticam oppugnarunt.

10. Tertii generis hominum, qui posteriore saeculo contra scholasticam dimicarunt, omnium fere eruditorum iudicio, Baco a Verulamio duxit agmen. Hic non systematibus compingendis, sed contraria philosophandi methodo proponenda, philosophiae instaurationem proclamavit. Totus autem in eo est, ut, syllogismo reiecto suffectaque inductione, mentem a rationali contemplatione ad experientiam revocet. Quod praeceptum, nisi benigna admodum interpretatione leniatur, in empirismum trahit; cuius proinde vitia mox enata iure a Criticis Baconianae tributa sunt methodo. Eodem fere tempore, quo Baco in Anglia suum organum Aristoteli opponebat, sapientes alii bellum sunt prosequuti, praesertim Cartesius in Gallia, Leibnitius in Germania, in Anglia Lockius, in Italia Galileus; quorum conatus prospera usi sunt fortuna. At hi etiam (quae rerum humanarum conditio est) suas vices subivere, aliis subinde nova systemata molientibus. Nam Cartesius, cui propter doctrinae novitatem, quam ante alios tradidit, plurimosque, quos in Gallia praesertim nactus est fautores, immutatae philosophiae initium tribui solet, non multo post tempore coeptus est fastidiri, Lokio pedetentim philosophiae campum occupante. Is utpote faciliora docens styloque fere populari atque ad Baconis praescriptum accomodate, saeculo arrisit plurimum. Quare etiam Leibnitius, qui profundiori delectabatur sapientia, unius fere Germaniae terminis coactus est contineri. Sic castris potitus est Lockius, in Anglia praesertim, et Gallia; dum Italia Eclectica potius philosophandi methodo uteretur, quamvis et ipsa etiam in Lockium sensim fieret aliquanto propensior. At cum periculosa nimis haec doctrina scepticismi, et, ut libere dicam, materialismi praeberet semina; fieri certe non poterat ut haec diu occulerentur. Ex ea proinde in Anglia per Berkeleyum idealismus, per Humium scepticismus emersit; in Gallia per Condillachium sensualismus, quem, ut consequens erat, Helvetius, Tracyus, Cabanisius in perfectum materialismum commutarunt. Tunc aliquando sapientes cum eiusmodi teterrima monstra exoriri conspicerent, de doctrina, quam hactenus suspexerant, in

(1) Hist. crit. phil. a temp. resuscit. in Occ. lit. etc. per. 3. part. 2. l. 1. cap. 2. §. 13.

suspicionem adduci coepere atque ad principia, quibus nitebatur, expendenda animum appulerunt. Hinc in Scotia sub finem elapsi saeculi nova secta prodiit, duce Thoma Reid eiusque discipulo Dugald Stewart, quae sensus naturae communis a Buffierio ante traditi patrocinium suscipiens contra Humii Scepticismum dimicavit. In Germania vero, quam sensualismus ac scepticismus aggredi coeperant, Emmanuel Kant, criticam rationis purae molitus, idealismum transcendentalem omni scepticismo perniciosiorem excitavit, quem postmodum Ficte discipulus eius ad ultimam perfectionem adduxit. Sic elapso saeculo tres sectae dominabantur: sensualismus Galliae, empirismus Scotiae, idealismus Germaniae.

11. Verum enim vero neque haec menti humanae esse poterant consentanea; quippe sensualismus dignitatem hominis deprimebat; empirismus nimis mancam philosophiam suppeditabat; criticismus ceu monstrum omnium teterrimum ad omnem sapientiam pessumdandam enatus videbatur. Hinc emersit ut Scotiae Schola post Stewartii obitum languescere admodum coeperit; sensualismus Galliae ex duplici exorta schola, altera quae Theologica nominatur, altera Eclectica, pene funditus excisus rueret: idealismus ab absoluto oppugnatus Realismo fere omnino cesserit loco. Ex his non ut nonnulli sibi blandiuntur prosperis rebus uti philosophiam, sed in periculoso versari discrimine sapiens quisque probe intelligit. Duo enim ultima, quae maiores turbas excitarunt systemata, realismus absolutus Germaniae et eclectismus Galliae pestilentiora fortasse caeteris non immerito videbuntur. Illud enim praeter alias absurdas opiniones fatalismum et pantheismum satis clare complectitur; hoc vero quanquam probatissimo atque optimo nomine lateat; tamen quoad rem, prout ex Cousinianis scriptis ac asseclarum elucet, praeter non paucos nocentissimos errores, apertum naturalismum inculcat. Quae cum ita sint, caute nimis in re adeo gravi, qualis est philosophia, prudenterque agendum est, et mens ab erroribus arcenda, verisque naturae imbuenda praeceptis; atque methodo non nomine tantum, sed vere eclectica, e dissidentium philosophorum placitis, quid veritati congruat acute videndum. Etsi enim neminem in omnibus delirasse; non uni tamen philosophorum naturam adeo se manifestasso arbitrandum, ut caeteros latuerit prorsus. Qua in re eorum audaciam ferre non possumus, qui aut veteres philosophos nil nisi nugas suique ingenii deliramenta tradidisse autumant; aut recentiores omnia penitus perturbasse, nil rectum ac sanum docuisse dictitant. Et sicuti utrosque fanatismo aut inscitia abduci remur; ita in hac causa Verulamio suffragamur, a quo sic sapienter accepimus (1) » Reperiuntur ingenia alia in admirationem antiquitatis alia in amorem et amplexum novitatis effusa. Hoc vero magno scientiarum ac philosophiae detrimento fit, cum studia potius sint antiquitatis et novitatis quam iudicia: veritas autem non ex felicitate tem-

(1) Novi organi l. 1. part. 1. Aphor. 56.

poris alicuius, quae res varia est, sed a lumine naturae et experientia petenda est » Nos igitur, ut id quod praestaturi sumus aperiamus, nullius addicti penitus doctrinae, undecumque verum tribuatur libenter suscipiemus; in rerum autem disceptatione, post diligens examen, probe argumentis hinc inde perpensis, quae pars magis rationi consona videbitur, complectemur; nec tam quid quisque senserit, quam quid sentiendum sit conabimur investigare. Quod etsi nostris fidentes viribus assequendo non simus; Dei tamen freti ope, ad cuius laudem ac gloriam hunc laborem assumimus, tuto possumus polliceri.

ARTICULUS TERTIUS.

De Philosophiae partitione, atque ordine in ea servando.

12. Non ea nobis est mens, ut philosophiam in omnes scientias, quae ad ipsam ratione aliqua revocantur, explete cumulateque partiamur: sed generaliorem exhibemus divisionem in eas, quibus illa proxime constat, disciplinas; quaeque elementa caeterarum continent. Inter varias a sapientibus instructas, celebrem illam Platonis deligimus, quam sic proposuit Tullius (1) » fuit ergo iam accepta a Platone philosophandi ratio triplex: una de vita et moribus; altera de natura et rebus occultis; tertia de disserendo, et quid verum, et quid falsum, quid rectum in oratione pravumve, quid consentiens, quid repugnans iudicando ». Quibus verbis elucet tres praecipuas Platonis sententia philosophiae partes decerni: unam quae in disserendo, alteram quae in moribus informandis, tertiam, quae in natura eiusque causarum contemplatione versetur. Jam age prima, *Philosophia rationalis*, seu *Logica*, nominata est; posterior *Philosophia moralis* audiit; tertia utpote peculiari nomine carens, multaque longe diversi generis amplectens; meo quidem iudicio, triplici constat disciplina: *Mathesi*, seu scientia quantitatis, *Physica*, seu scientia corporum, *Metaphysica*, quae de rebus incorporeis, abstractioribusque anquirit notionibus. Ad quam partitionem, ut optimam, et probatissimam habendam his praecipue momentis adducimur. Primum: cum pro scientia hic non aliud intelligamus, nisi systema quoddam, seriemque notionum ordine et unitate donatam: iuxta diversitatem varietatemque obiectorum, scientiarum constituenda partitio est. At vero obiecta, in quibus humana vertitur contemplatio, posita sunt aut in motibus animi (quod genus *subiectivum* appellant) aut in rebus exinde distinctis, quod genus *obiectivum* nominant. Iterum motus animorum duplices sunt: alteri cogitationis, alteri appetitus; illi in vero exquirendo versantur, hi ad agendum impellunt: res autem caeterae aut in ratione incrementi et decrementi, seu quantitate consistunt, aut in phaenomenis naturae adspectabilis, aut denique ad spiritus, notiones-

(1) Academ. l. 1. n. 6.

que abstractiores pertineret. His quinque recensitae congruunt disciplinae; nam quae de disserendo agit, Logica; quae mores edocet, Moralis; quae quantitatem scrutatur, Mathesis; quae rerum adspectabilium mutationes exquirit, Physica; quae denique res a sensu remotas considerat, Metaphysica nominatur. Deinde, si Philosophiae finem (ex quo res quaevis metienda est) consideremus, adstructa partitio videbitur etiam probabilior. Etenim philosophia ad hominem perficiendum dirigitur; humana autem perfectio omnis in tribus rebus fere vertitur; quarum una est, ut ratione rite in cognoscendo utamur (cui muneri Logica suppetit); alterum, vitam sectari honestam, appetitionesque rationi obedientes efficere, (atque ad id moralis informat); tertium ponitur in natura rerum contemplanda, perspiciendoque, quid cuique consentaneum sit, quid consequens, ex quo quidque gignatur; quae cuiusque rei sit causa (atque ad haec tres caeterae praesto sunt disciplinae). Ergo data partitio fini obiectisque sapientiae congruit; digna igitur est quae probetur. Age nunc reliquae scientiae, quotquot excogitatae sunt, ex adstructis, ceu ex fonte rivuli, deduci possunt. Sic ut quibusdam utar exemplis, *Politica* seu scientia administrandi rempublicam, *Iurisprudentia*, seu legum disciplina, ex morali philosophia, unde sumunt principia, derivantur. *Phytologia*, seu scientia vegetabilium; *Physiologia*, seu scientia corporis animati; *Medicina*, seu scientia medendi corpora, e Physica dimanant; *Astronomia*, et *Mechanica*, utpote ex Physicae, ac Mathesis notionibus coalescentes, ab iisdem disciplinis proficiscuntur; ipsaque *Teleologia*, seu scientia finium, quam Wolfius adstruit (1), si peculiaris scientia foret, ad Metaphysicam pertineret.

13. Superest ut de optimo, quem in ipsis tradendis servemus ordinem, aliquid eloquamur; qui etsi maximi momenti sit, non parum tamen a plerisque turbatur. Ad vitium hoc cavendum, haec prae oculis regula habenda est: *Ea disciplina, quae ad caeteras dirigit, vel ex qua aliae principia sua mutuantur, praeire debet.* Cuius praecepti necessitas emergit ex eo, quod secus evidentia, sine qua nulla est scientia, a notionibus, quas discendo consequimur, exularet. Non enim consectaria intellectui evidenter patere possunt, nisi antea principia, unde fluunt, atque ea, quae ordine praecedunt, clare notuerint, Ex quo facile erit iudicare quamnam disciplinam praeire oporteat, quamque subsequi. Logica enim, quae in eo est, ut documenta tradat, quibus mens in veritate capessenda regatur, verumque a falso secernat; haud dubium est, quin ante reliquas praecipi debeat. Qui enim fiet, ut in difficili ad ineundum scientiarum calle impune gradiamur, nisi prius semitas illuc ducentes, quidve in itinere vitandum, quidve sequendum sit probe noverimus? Apposite huc Augustinus (2): » quo.

(1) Philos. Ration. discur. prael. c. 3. §. 85.
(2) Lib. 1. De Ordin. c. 18.

modo ratio ad alia fabricanda transiret, nisi prius suas regulas, et praecepta, quasi quaedam machinamenta distingueret, notaret, dirigeret, proderetque ipsam disciplinam, quam dialecticam vocant? Haec docet discere, in hac se ratio demonstrat, quae sit, quid velit, quid valeat, sola vult scientes facere, nec solum vult, sed etiam potest. » Ex quo intelligitur, quantum a natura recedant Cousiniani, qui philosophiae studium a Psychologia inchoari volunt, qui praeposterus ordo non paucis (quod mirere) Italis etiam placere occipit; inter quos Mancinus in suis elementis ab Ideologia exorditur, ei fere similis, qui, non comparatis antea instrumentis, opus elaborandum aggreditur. Nos novitate abhorrentes, ordini pareamus; et, quod omnibus sapientibus arrisit hactenus, a Logica in scientiis esse principium existimemus. Ad caeteras vero quod attinet disciplinas, certissimum est, Physicae atque Ethicae principia ex Metaphysica, quoad partem non exiguam, derivari. Notiones enim generales circa corporum elementa, motum, proprietates, Metaphysica aperit; quae item voluntatis humanae, ac Supremi Numinis naturam, quae notitia Ethicae pernecessaria est, manifestat. Contra vero inter Physicam et Moralem, vel Mathesim, et Physicam puram, nullus interiectus est nexus, qui tamen maximus adest inter Mathesim puram et mixtam, quae, sine illa, addisci non potest, Quae cum ita sint, ordo in disciplinis servandus is videtur: ut primo loco Logica condiscatur; deinde sequatur Mathesis ac Metaphysica; tum accedant Physica pura et Moralis; Physicis autem mixtis, quae et Mathesim puram supponunt, et Physica non parum iuvantur, nonnisi post utramque disciplinam detur opera.

ARTICULUS QUARTUS

De Methodo.

14. Homo scientiis omnibus destitutus enascens, ad eas pedetentim comparandas per industriam, vestigationem, tentamina, labore, ac veluti via, qua gradiatur, eget (1). Via haec, quam mens in scientiarum terit curriculo, nomine methodi compellatur. Quae, uti patet, duplex est, altera, qua mens ab universalibus ad particularia procedit, et ab elementis ad compositum; altera

(1) Quanta sit bonae methodi necessitas, fusiori oratione non prosequar: sat erit Cousinii verba referre ita hic scite loquentis » Vera vis interna systematis alicuius, in eiusdem methodo inest. Methodum proferte in mundum: systema protulistis, quod veniens actas sibi onus sumet evolvendi. Inter systema suamque methodum effectus et causae prope relatio intercedit — Le vrai secret d'un système est dans sa méthode. Mettez une méthode dans le monde, vous y mettez un système, que l'avenir se chargera de développer. Entre un système et sa méthode, il y a presque la relation de l'effet à sa cause etc. (Hist. de la phil. ec. t. 1. leç. 3.)

stione versata proponatur, ac definitione, quae nomen explicet, a caeteris secernatur. Ut enim praeclare Tullius (1) » omnis, quae a ratione suscipitur de aliqua re, institutio debet a definitione proficisci; ut intelligatur quid sit id, de quo disputetur. » Et sane ni id constet, incerta erit et caligans disceptatio. 2. *Si res complexa erit, partes, unde constet, assignentur.* Etsi enim quandoque partitio diuturna egeat consideratione, qua paulatim ad simpliciora fiat gradus (quod ubi contigerit utendum est analysi): tamen plerumque mediocri adhibita attentione obiecti partes illico deprehendi possunt; praesertim cum ab eo, qui rem probe noverit, proponuntur. 3. *Minutatim elementa singula, versa in omnes partes quaestione, diligenter expendantur.* Si enim aliquod praetermittatur, compositum inde coalescens dilucide non cognoscetur. 4. *Relatio et ordo unius partis ad alteram accurate consideretur.* Ita enim, quibusdam veluti gradibus, mens ad perspicuam scientiaque dignam totius notitiam perducitur. 5. *Principia, quae ad considerationem iuvandam accersuntur, certa per se ac evidentia sint, vel iam antea evidenter demonstrata.* Haec reapse via est, quae proprie ad sciendum suppeditat, ita ut is etiam, qui ad compositi elementa, vel rerum communes leges comperiendas usus est analysi, nunquam eorum quae speculatur ordinatam et nitidam consequatur notionem, nisi deinceps regrediendo notitiam simplicium et universalium ad individua, compositaque illinc derivata per synthesim applicet. Hanc igitur nos in docendo seligimus, et quantum rerum patietur conditio, potissimum adhibebimus; sic enim nostra instituimus commentaria, ut scientiae optimae assequutioni, et adolescentium utilitati cantum esse velimus quam maxime. Quod si quis erit, qui descriptum a nobis docendi modum laudet; eum tamen non syntheticum appellari debere, sed analyticum asserat; cogitet is inmerito hoc dici: quandoquidem in eo, ut a nobis explicatum est, mentis contemplatio a simplicioribus ad implexa procedit. Nec obest quidquam, quod partitio praemittenda decernatur; ea siquidem, etsi quaedam sit resolutio, tamen non ideo efficitur (quemadmodum proprium est analysis) ut mens in simplicibus detegendis sistat, sed ut materiam quam tractet sibi praeparet; contemplationem vero nonnisi a partibus inchoet, atque in compositi distincta notione terminetur. At in vitium, inquis, non leve prolaberis; partium enim enumeratio saepe subtilem exquirit indaginem; quae si negligitur, metuendum erit ne vacilles iam initio. Verum si quae statuimus prudenter examinentur, nil haec adversantis oratio nos laedit. Nam saepe compositi partes, ita sunt in promptu, ut pene ipso sentiantur aspectu. Quod si nonnunquam latent altius; tum certe diligenter anquiri debent examine; idque dum assequamur, praevia erit utendum analysi; atque ob hanc causam nonnisi obviam partitionem ad synthesim revocavimus; professique sumus nos non semper sed potissimum usuros esse synthesi, ut illud exceptum intelligeretur, quod, si quando usus est,

(1) De Officiis l. 1. c. 2.

analysis synthesi copuletur; quae methodus non inscite *mixta* dicetur. Quibus sat dilucide explanatis, ut opinor, colligi potest quamplures auctores opinionis errore putasse se analysim sequi, dum reapse synthesi uterentur. Quae deceptio e Condillachio orta est potissimum, qui synthesim tenebricosum iter appellat, eo quod falsam illius notionem mente informaverit, eiusque praecipuas dotes analysi errando tribuerit. Quod vitium in hoc Philosopho Paulus Costa iure reprehendit (1).

(1) Del modo di comporre le idee ec. c. 50.

INSTITUTIONES

LOGICÆ

PROLEGOMENON

Rectum disciplinarum ordinem postulare diximus (1) ut a Logica in docendo ducatur exordium, atque hoc, si paucos excipias, omnium plane sapientium auctoritate firmatur. Rationi igitur, et exemplo geramus morem. Age iam Logicam, si vocis etymon spectas, *rationalem disciplinam* interpretaberis; ea enim ad recte cogitandum, acuteque disserendum mens instituitur: sic autem iure definies, ut dicatur *facultas* esse seu *scientia, qua mens in exquirenda veritate dirigitur.* Partienda autem necessario videtur in *innatam* et *acquisitam.* Illa est dispositio quaedam et facilitas recte ratiocinandi animo ingenita, quam quisque a natura sortitur; haec distinctior notitia perfectiorque usus mediorum ad verum capessendum idoneorum, quem studio et exercitatione consequimur. De hac nobis in praesens agendum, cuius praeceptiones ex rationis animadversione profectas primus Aristoteles ad scientiae formam exegit. A quo simul atque haec emersit disciplina, undique absoluta completaque visa est; adeo ut nostris fere temporibus sic de illa scribere potuerit Kantius (2) » Logicam inde ab antiquissimis temporibus hoc tutum iter instituisse, inde potest perspici, quod ei post Aristotelem ne passus quidem retro ponendus fuerit; nisi fere remotionem subtilitatum inutilium quarumdam, dilucidioremque constitutionem rerum, quae pertractatae erant, pro emendatione habueris, quae vero magis ad elegantiam scientiae faciunt, quam ad certitudinem. Est etiam notatu dignum eam ad hoc ipsum tempus ne ullum quidem passum potuisse progredi, ideoque perfectam omnino absolutamque videri. » Cum autem tota versetur in mentis operationibus ad veri indagationem dirigendis, hae quidem hoc nomine obiectum ipsius constituunt; id enim obiectum disciplinae cuiuspiam nuncupatur, quod illa sibi ad considerandum assumit. Ex hoc facile potest intelligi

(1) Praenotion. art. 3.
(2) Critica R. P. Praef. poster. ex versione Gottlob Born.

posse sapienter Logicam dispesci bifariam. Generale enim instrumentum, quo mens in omni inquisitione veri aliqua semper ratione utitur (ut inferius dicturi sumus) ratiocinatio est, quae in ipsa etiam inductione latet implicita. Aut igitur Logica in eo vertitur ut ratiocinationem duntaxat explicet; eiusque leges inquirat; et tunc prima eius pars habebitur, quam *dialecticam*, vel *Logicam generalem* apte dixeris, quaeque definiri potest: *ratiocinationis scientia*. Aut progressa ulterius, motiva, quibus in iudicando nitimur, explanat, plenioremque rerum, quae ad ratiocinium et scientiam pertinent, notitiam suppeditat; et id muneris altera pars suscipit, quae *specialis Logica* non immerito appellaretur. Iam ab illa exordiamur.

PARS PRIMA

LOGICA GENERALIS SEU DIALECTICA

Ratiocinii Elementa proponuntur.

1. *Ratiocinii* nomine ea operatio usurpatur, qua mens ex una veritate nota in alterius ignotae notitiam devenit: puta cum quis ex Aurorae ortu Solis supra Orizontem derivat ascensum. Quare ab Augustino delinitur : a certis ad incertorum indagationem nitens cogitatio (1). Esse autem in nobis operationem huiusmodi tam certum est, ut confirmatione non egeat; siquidem quisque in se hanc iugiter , cum velit , experitur. At vero hic motus animi tribus constat elementis : *apprehensione*, *iudicio*, *inferendi actu.* Nam cum mens veritatem unam ex alia ratiocinando deducit ; necesse est primum: ut animus obiectum aliquod sibi contemplandum obverset; deinde ut quidpiam illi tribuat aut neget ; demum ut ex prolato iudicio ad aliud derivandum gradiatur. Sic in superiore exemplo homo in primis caelum matutina luce undique dealbescens intuitus , huius rei conceptum animo arripit ; secundo , luci ortum tribuens mente veluti infit : *lux exorta est* ; tertio ex effectu causam inferens ait : *Sol ergo mox orizontem subiturus est.* Iam horum operationum prima dicta est *apprehensio;* eo quod per ipsam mens obiectum cognitione veluti prehendat , adiungique solet verbum *simplex* ut significetur nil ea affirmari aut negari. Altera *iudicium* audit; quia mens postquam obiectum cum attributo contulerit; de ipso , instar iudicis , sententiam fert. Tertia appellari potest *inferendi actus* , vel *discursus* ; propterea quod intellectus ab uno in aliud iudicium quasi decurrens novam veritatem eliciat. Atque haec partitio omnes cogitandi motus complectitur , qui certe ad aliquam ex recensitis operationibus possunt revocari. Quaecumque enim mentis est cogitatio, ea quidem aut iudicium aliquod continetur aut nullum ; si hoc, ad simplicem apprehensionem reducitur ; sin erit alterum, tunc aut iudicium illud menti innotuit per seso, et cogitatio eiusmodi ad secundam classem pertinebit; aut perspectum est ope comparationis cum alio, et talis actus ad ultimum partitionis membrum cooptabitur. Quae cum ita sint; intelligitur sane Logicae muneris esse de singulis his disserere , ut mentem ad rite ratiocinandum informet. Quare , iuxta methodum delectam superius , a simplicioribus exordientes primum de simplici apprehensione, ac signis quibus exterius illa exprimitur; deinde de iudicio, et enunciatione, qua idem significatur ; tum de discursu variisque ratiocinii exprimendi formis , triplici capite eloquemur.

(1) De Immat. anim. c. 2.

CAPUT PRIMUM

DE SIMPLICI APPREHENSIONE, EIUSQUE SIGNIS.

ARTICULUS PRIMUS

De idea, eiusque differentiis.

2. Prima mentis operatio seu *simplex apprehensio*, ut ante diximus, eo nititur quod mens obiectum aliquod mere percipiat ac contempletur, nihil tamen affirmet aut neget. Ut si quis historiam perlegens res gestas ibi enarratas mente dumtaxat revolveret, iudicium vero ferret nullum. Solet haec etiam *conceptus*, *notio*, *intuitio*, *idea* promiscue appellari: quamvis, ut verum fatear, quidquid sit de reliquis, *conceptus* et *notionis* nomina nonnisi cogitationi completae, qualis non apprehensio sed iudicium est, tribuerem. At permultum non interest utrum uno alterove vocabulo nominetur. Illud tamen constet primam hanc mentis cogitationem *ideae* nomine solere a Logicis frequentius usurpari, qua ego voce hic in posterum plerumque utar. Porro de *idearum* natura, origine, atque tum a *sensilibus perceptionibus*, tum a *phantasmatibus* (1) distinctione ad Psychologiam disserere pertinet; hic tantum ea degustamus, quae ad eiusmodi operationem prout ratiocinii elementum est intelligendam scitu videntur necessaria.

3. Quia idea circa aliquod obiectum versetur oportet, atque actu mentis continetur; idcirco sequitur ut idearum *differentia* duplici ex fonte oriri possit; ex diversitate aut *obiecti*, aut *modi*, quo obiectum idem attingitur. Priorem differentiam *obiectivam*, alteram *subiectivam* vocare possumus; deque utriusque variis speciebus loquemur aliquid. Idea ratione modi, quo obiectum diverse percipitur, seu quoad differentiam subiectivam, dividi potest in *claram* et *obscuram*, in *distinctam* et *confusam*, in *completam* et *incompletam*, in *adaequatam*, et *inadaequatam*. Huius partitionis (saltem his verbis expositae) tria membra Leibnitius invexit, qui de cognitione sic scripsit (2) » Est ergo cognitio vel *obscura* vel *clara*, et *clara* rursus, vel *confusa* vel *distincta*, et *distincta*, vel *inadaequata*, vel *adaequata* » His quartum membrum interseruit Wolfius (3) *distinctam* ideam, antequam in *adaequatam* et *inadaequatam*

(1) Ideam a perceptione sensili et phantasmate iure secernimus. Illa enim ad mentem dumtaxat pertinet, hae vero ad sentiendi facultates. Illa spirituum tantum est propria, hae in bruto etiam animante reperiuntur. Sed de eiusmodi differentia, quae maximi momenti est in philosophia, et ex cuius neglectu foedissima materialistarum, quae saeculum elapsum non parum dedecorarunt, exorta sunt monstra: in Ideologia, qui idoneus locus est, fuse dicemus.

(2) Medit. de cognit. verit. et ideis t. 2. Oper. edit. Gen.

(3) Philos. ration. p. 1. sec. 2 c. 1 §. 92.

divideret, in *completam* et *incompletam* partitus. Hic *census* aptior putandus, ut ex singularum partium definitione constabit. Nam idea *clara* ea dicitur, quae obiectum ita repraesentat, ut ab aliis secernatur; contra vero, quae *obscura* audit. Sic idea syderis cuiusdam ex. gr. *Iovis*, quam habet *Astronomus*, *clara* est; at contra rudis, qui caelum stellans suspiciens sydus illud discernere non valet, ideam tantum *obscuram* possidet. Ideam *distinctam* nuncupabis, quae obiectum ita offert, ut eius constituentia et notas distinguere, et numerare possis. Ac quidem, si omnia enumeres, *completa* erit, secus appellabitur *incompleta*. Quae autem notio obiectum ita refert, ut partes ac characteres non distinguat, *confusa* audiet. Sic colorum nonnisi ideam confusam habemus; etsi enim eos clare percipimus, tamen notas, quibus constituuntur ac invicem discriminantur, enuntiare non possumus. Contra trianguli rectanguli notio distincta est, cum eius constitutiva designantur: ita tamen, ut, si omnia complectamur, dicamusque ex. gr. ipsum esse figuram planam tribus rectis comprehensam, totidemque angulis, quorum unus sit rectus; idea sit non modo *distincta*, sed etiam *completa*. At vicissim *erit incompleta*, si aliqua ex recensitis notis praetermittatur. Denique cum notae, quibus obiectum constat, saepenumero sint in alias resolubiles; qui obiectum ita concipit, ut possit omnes eius characteres enuntiare, donec ad simplices, quae per alias *notas* illustrari non debeant, deveniatur; is *adaequatam* ideam habere dicitur; secus, si id non possit. *Media*, quae ad ideas ex *obscuris claras*, et ex *confusis distinctas* faciendas valeant, in *definitione* ac *divisione* potissimum sunt posita: de quibus proinde in fine huius capitis, quantum satis est, dicemus. Ac ex iis partibus, quae differentiam subiectivam spectant, quaemadmodum divisio idearum repetatur, satis expositum videtur; sequitur ut de obiectiva idearum diversitate, ea nimirum, quae ex obiectis desumitur, aliquid dicendum sit.

4. idea quoad *obiectum* considerata dividi potest primo in *positivam* et *negativam*; illa quid res sit ex. gr. *idea hominis*; haec quid res non sit ex. gr. *idea non hominis* repraesentat. Fatemur tamen in idea *negativa positivam*, quae negatur, contineri: quippe cum intelligi nequeat negatio, nisi id, quod negatur, sit ante perspectum. Secundo dispesci potest in *singularem*, et *universalem*; prior obiectum aliquod *singulare* ac *individuum* ex. gr. *Petrum*; altera *universale*, seu quod in pluribus singularibus inveniri potest, menti offert; quemadmodum esset *idea hominis in genere considerati*. Qua in re observandum est ideam, quo est *generalior*, eo esse simpliciorem, notisque paucioribus coalescentem; atque ideo quantum eius *extensio* seu amplitudo augetur, tantum remitti *comprehensionem* seu complexum *notarum*, quibus obiectum determinatur. Sic *idea hominis ideam animalis* comprehensione antecellit; quippe non modo vitam et sensum, sed etiam rationem exhibet; at *idea animalis* illi quoad extensionem praestat; siquidem pluribus attribui potest, nimirum non modo singulis individuis naturae

humanae, sed caeteris etiam animantium speciebus. Tertio in *concretam et abstractam*. Idea *abstracta* dicitur, quae aliquid, quod cuipiam subiecto inest, absque eo, menti obiicit, ut ex. gr. *notio albedinis; concreta* vero ea est, quae aliquid ceu subiecto inexistens repraesentat : sic se habet *idea albi*. Quarto in *collectivam* et *distributivam;* illa est, quae pluribus simul acceptis tribuitur, ut idea *exercitus* ; haec vero quae pro pluribus seorsim sumptis usurpatur, ut idea *hominis in genere*; quae ut attribuatur individuis omnibus naturae humanae, haec *collectim* sumere non oportet. Quinto in *directam*, et *reflexam* ; prior est, qua obiectum a nostra perceptione distinctum ; altera vero, qua ipsa nostra perceptio animique modus aut subiectum ipsum cogitans attingitur. Sic notionem, qua *rem quamlibet tibi extrinsecam* percipis, directam dices; reflexam vero, qua *tuam ipsam cogitationem aut cogitandi in te principium* apprehendis. Sexto in *realem* et *logicam* ; illa *obiectum extra mentem* vel *existens* vel *existendi capax* ; hac *obiectum* repraesentatur, *cui mens dumtaxat*, *aliquo tamen fundamento nixa*, *existentiam impertitur*. Sic idea *hominis* realis erit, idea *generis*, vel *speciei* logica. Demum huc adde ideas, quas *associatas* appellant; quo nomine eas intelligo, quae ratione nexus alicuius, quo colligantur, se vicissim inferunt, aut excludunt. Generatim illae sunt, quae obiecta repraesentant aliquo ordine, aut dependentia, aut etiam contrarietate invicem quoad cognitionem nexa ; praecipueque recenseri possunt: ideá *effectus* et *causae*, *parentis* et *filii*, *caecitatis* et *visus*, *possibilis* et *impossibilis*, aliorumque quamplurium, quae aut *relationem* aut *oppositionem* includunt.

Haec omnia sunt diligenter advertenda, ac subtili mentis acie in rerum contemplatione distinguenda, si in percipiendo confusionem, in iudicando falsitatem, in ratiocinando deceptionem cavere velis.

ARTICULUS SECUNDUS

De idearum signis.

5. Cum animi nostri sensus cogitationesque animo ipso lateant, nec per sese caeteris patefiant ; homo, qui ad societatem cum aliis ineundam enascitur, idoneis mediis a provido naturae Auctore istructus est, ut ideas suas aliis, quibuscum vivit, manifestet. Haec media *signa* quaedam sunt; sic enim nominantur quaecumquae ad res alias innuendas sive natura, sive arte sunt instituta. Omnibus vero signis, quibus conceptus nostros ac affectus animi patefacimus, maximopere *vocabula* praestant; de quibus sic Augustinus (1) » verba prorsus inter homines obtinuerunt principatum significandi quaecumque animo concipiuntur, si ea quisque prodere velit » Et merito ; siquidem etsi etiam *suspiria*, *gemitus*, *nutus* sensa animi nostri significent ; minime tamen id eadem, qua

(1) Lib. 2. de Doctr. Christ. c. 3.

vocabula, facilitato, perspicuitate distinctione ac varietate vere mirabili efficiunt. Quamquam non diffitear *gestuum loquelam*, si vivax est, vehementius commovere, propterea quod imaginationem vividius ferit, et rem veluti ob oculos ponit. Iam vocabula sic definiri possunt, ut dicantur: soni quidam articulata voce prolati ad ideas mentis significandas. Ex quo intelligitur, ab ipsis proxime et immediate *conceptus*; vi autem conceptuum *ipsa obiecta* significari. Ad originem autem sermonis quod spectat, nulli dubium quin etsi vis loquendi ingenita nobis sit; verborum tamen determinatio ab arbitrio hominum generatim pendeat. Secus si quodlibet determinatum verbum determinatam rem natura sua innueret; qui fieri posset ut verbum idem apud caeteras gentes, quibus certe eadem natura inest, nihil prorsus aut rem diversam exprimeret? At quaestio in eo vertitur utrum sermo quidam *primitivus* iis, qui ad genus inchoandum humanum *primi* a Deo sunt conditi, divinitus indi debuerit; an homo sermocinandi tantum virtute donatus sermonem ipse repererit. Qua de re in contrarias sententias philosophi distrahuntur. Nonnulli enim, e *sensualistica schola* potissimum, non modo absolute potuisse, sed etiam revera contigisse autumant, ut homo sermone antea destitutus eum ipse sibi tribuerit. Alii, praesertim ii, qui ad *Theologicam scholam* pertinent, id neutiquam evenire potuisse arbitrantur. Equidem, quicquid sit de absoluta rei *possibilitate*, de qua boni etiam philosophi dissident, ad *eventum* quod attinet existimo elementa certe aliqua sermonis, quantum saltem sufficeret ad *domesticam* societatem, in qua conditus homo debuit, mortalium primo a Deo fuisse tributa. Idque hoc argumento confirmari potest, quod si, ut supra dictum est, ad divinam pertinuit providentiam cognitione aliqua naturae *protoparentem* instruere; hoc multo magis de usu sermonis dicere oporteat, cuius longe maior necessitas ingruebat.

6. De utilitate vero, quam ex sermone pro rerum intelligentia mens capit, permulta absurda philosophi quidam, in primisque Condillachius, sunt fabulati. Statuerunt enim illum esse necessarium ad *Analysim* et *Synthesim* idearum habendam, nec sine ipso notiones generales perfici posse. Quin etiam in tantum dementiae prolapsi sunt, ut dicerent ipsam intelligentiam ex usu loquelae progigni. At enim haec esse ridicula optimus quisque iudicabit, modo cogitet non posse loquendi usum concipi, nisi iam antea intelligentia praesupponatur. Non enim quia loquimur intelligimus, sed quia intelligimus loquimur. Unde bruta quia intelligentia carent, idcirco loquendi facultate privantur. Quod si intelligentia a sermone non pendet, poterit illa quidem suis uti viribus ad ideas sive dividendas sive componendas sive etiam abstrahendas, quin propterea sermo veluti causa aut istrumentum exquiratur. Vera igitur emolumenta sermonis his continentur: 1. Praeterquam quod ad ideas communicandas inserviat, ac proinde veluti vinculum sit hominum societatis; memoriae subvenit quoad ideas semel habitas revocandas. 2. Mentis attentionem figit detinetque in obiecto, quod expri-

mit, quae secus ad alia contemplanda statim raperetur. 3. Mentis opificia veluti servat, efficitque ut illa postquam contemplationis suae partus vocabulis ad retinendum tradiderit, soluta curis ad nova possit impune progredi speculanda. Hoc potissimum utilitatis e sermone in hominem proficiscitur; caetera, quae a nonnuliis nimium exaggerantur, sine fundamento ponuntur, et animo humano sunt dedecori. Denique ad dotes loquendi quod attinet; sermo sit *perspicuus*, *usitatus*, *brevis*; non ea inquam *brevitate*, qua obscurior sententia fiat; sed ea, quam descripsit Tullius (1) inquiens: brevitas appellanda est cum verbum nullum redundat, vel eum tantum verborum est, quantum necesse est.

ARTICULUS TERTIUS

De terminis, eorumque partitionibus et usu.

7. Nomina prout propositionem componunt *termini* appellantur a *terminando*, propterea quod, ut observat D. Thomas, quodammodo propositionem circumscribant. Propositionis enim, ut dicetur inferius, tria sunt elementa: *subiectum*, *attributum*, et *copula*. Iam vero *subiectum* et *attributum* nomina quaedam sunt, quae vi copulae, seu substantivi verbi *sum*, *es*, *est*, invicem affirmantur aut negantur, et propositionem veluti explent clauduntque. Exemplo sit isthaec propositio: *homo est animal*; in qua, ut perspicis, nomina *homo* et *animal* terminorum munere funguntur et per *copulam* mutuo colligantur. Terminus tribui potest 1. in *complexum* et *simplicem*, hic est, qui unico constat vocabulo, ut *homo*; ille, qui pluribus, ut *homo virtute praeditus*. Saepe enim subiectum aut attributum propositionis non una, sed pluribus simul iunctis coalescit vocibus; ex: gr: *homo virtute praeditus est prae caeteris honorandus*. 2. Dividi potest in *significantem* et *inanem*. Ille est, qui aliquid reapse *non chimericum* significat, ut *caelum*, *tellus* etc. hic vero, qui aut est sine mente sonus, aut aliquid *impossibile sibique contradicens* exprimit, ut *circulus quadratus*, aut *homo irrationalis*, hisque similia, quae utpote contradictoriis constantia notis, nil revera representant, sed *apparentem* dumtaxat et *deceptricem* exhibent ideam. 3. In *fixum* et *vagum*: ille rem aliquam constanter significat, ut *templum*; hic modo hanc, modo aliam pro loquentis arbitratu rem exprimit, ut *natura*; quae vox nunc ad adspectabilem mundi machinam nunc ad quamlibet *essentiam*, nunc ad ipsum mundi Auctorem significandum usurpatur. 4. In *univocum*, et *aequivocum*: prior est, qui pluribus secundum eandem significationem tribuitur, ut *animal*; alter qui secundum significationem diversam. Atque hic quidem aut *a casu*, aut *a consilio* duci *potest*. *A casu* quidem, cum res, quibus tribuitur, nullam inter se relationem habeut, cur eadem voce fruanlur, et exemplo sit nomen *Gallus* cum hominibus trans Alpes, et certo volucrum generi attri-

(1) De Orat. lib. 2.

buitur : *a consilio* autem, qui etiam *analogus* dici solet, cum terminus, etsi rebus diversis non eadem significatione detur; tamen illac aliquam proportionem inter se, aut convenientiam incompletam, aut ordinem ad eundem effectum habent. Sic risus non modo homini, sed virenti etiam prato tribuitur, quia quemadmodum *homo ridens*, ita *pratum amoenum* intuentes exhilarat. Similiter *sanitas* non solum de animante, sed etiam de *cibo*, *medicina*, *colore* dici assolet, quia, etsi proprie nonnisi in animante insit, tamen a cibo et medicina vel servatur, vel in integrum restituitur, a colore autem indicatur. Denique dividi potest: in *positivum*, et *negativum*; in *singularem* et *universalem*; in *concretum* et *abstractum* etc. prout ideam positivam vel negativam; singularem vel generalem; concretam vel abstractam significat.

8. Cum terminus extra propositionem variam significationem suscipere possit: diligenter considerari debet ad quam potius in propositione determinetur. Quare consentaneum erit diversos hic enumerare modos, quibus termini usurpari queant. Itaque terminus vel pro *sono* tantum oris sumitur, ut si dicas: *homo est vox;* vel pro *re a sono distincta,* ut si dicas: *homo est animal.* Prima acceptio non incongruenter *usurpatio significationis materialis* nominaretur, altera *usurpatio formalis*. Iterum usurpatio materialis esse potest vel *naturalis* vel *artificiosa*, prout terminus sumitur ad sonum vocis innuendum secundum id, quod habet a natura, ut in exemplo nuper allato: *homo est vox;* vel secundum id, quod habet ab *arte* ut si dicas: *homo est nomen tertiae declinationis.* Vicissim usurpatio formalis esse potest vel propria vel metaphorica quatenus usurpantur termini in significatione aut propria aut aliena. Exemplum primi generis erit: *Philippus fuit parens Alexandri*; exemplum vero posterioris: *Socrates fuit parens philosophiae.* Deinde dividi potest in realem et Logicam, quarum prior habetur cum terminis utimur ad significandum aliquid secundum id, quod habet in se, ut si dicas: *homo est animal;* altera vero cum aliquid significamus secundum id, quod habet in intellectu, ut si dicas: *homo est species*; homo enim *speciei* rationem induit per mentis considerationem. Tertio in *particularem* et *communem*: particularis est acceptio termini pro *aliquo*, vel *aliquibus singularibus*, quae ille complectitur, ut *quidam homines sunt sapientes*, communis est acceptio termini pro omnibus inferioribus quae continet, ut *omnes homines sunt rationales*. Atque hic videndum est etiam utrum vox *omnis* particularia, quae termino communi continentur revocet *collectim*, ut si dicas *omnes Apostoli sunt duodecim*; aut *divisim* ut si dicas *omnes Apostoli delecti sunt a Christo*; quod de singulis seorsim verum est. In priori casu usurpatio significationis vocari potest *collectiva*, in altero *distributiva*. Haec non inutilia aestimanda sunt, sed subtiliter accurateque consideranda; variata enim in ratiocinio usurpatione significationis, argumentum sophisticum evadit ac pluribus, quam tribus, constans terminis.

ARTICULUS QUARTUS

De Definitione , et Divisione.

9. Ratio potissima et naturae veluti instrumentum , quo rerum ideas claras , et, quoad potest, distinctiores consequamur, definitione , et divisione continetur. Has enim dum quaerimus, aciem attentionemque mentis ad notas rei simpliciores, partesque, unde coalescit, sensim ac veluti pedetentim conferimus; ex quo omnis perspicuitas , et distinctio idearum emergit. Permultum igitur interest, ut , breviter quidem, sed quantum satis est, de his eloquamur. Iam age, definitio dici potest cum Tullio (1) esse *oratio quae id , quod definitur , explicat quid sit.* Duplex a recentioribus communiter post Leibnitium proponi solet : una , quae rei notione tantum illustrata , eam non declaret esse possibilem ; atque hanc *nominalem* appellant : altera , quae praeter rei conceptum , possibilitatem etiam exhibeat , indicata ratione qua gigni illa possit ; atque hanc *realem* , vel etiam *geneticam* nominant. (2) Sic eorum sententia , qui circulum definiunt *figuram quamdam planam in se redeuntem , cuius omnia puncta aeque distant a puncto aliquo intercepto* , definitionem nominalem efficiunt. Sin contra definitur circulus : *figura ex motu lineae rectae, sese circa fixum punctum vertentis in plano descripta* , definitio est realis. At mihi, quanquam distinctio aliqua facienda videtur inter definitionem , quae conceptum rei, et eam, quae rei genesim explicat ; superiorem tamen nominalem appellare non placet : tum quia sic vox deesset idonea ad eam innuendam , quae rei nomen exponit; tum etiam quia per hoc ansa daretur confundendi definitiones , quae nomen tantum rei describunt , cum iis , quae conceptum ipsum complicatum per simpliciores evolvant ideas ; quod perperam fecisse videtur Lockius. Quocirca aliquantulum hinc recedere consentaneum iudico ; atque locum eiusmodi, fortasse clarius , sic definio: Cum aut quaeri possit quid sit nomen rem aliquam designans , aut quid sit ipsa res vel conceptus nomine latens : definitio in *nominalem* dispescitur et *realem.* Illa vim nominis ; haec rei naturam et notionem describit. Iam vero definitio nominis duplici ratione haberi potest : vel vestigando sensum vocis ex eius etymologia ac origine , ut si dicas: *Theologia est sermo de Deo* , et *providus est quasi procul videns* ; vel si, hoc omisso, sumatur nomen veluti sonus indifferens, declaretur que quid per ipsum significari velit, ut si dicas : nomine *naturae* intelligo principium operationis internum. Atque haec posterior , cum nomen vagum praesertim , aut ancipitis significatus inciderit, usui philosopho ad λογομαχίας vitandas esse debet quam

(1) Top. c. 26.
(2) Vid. Gen. Art. Logico-Crit. l. 5. Append. Wolfii de meth. mat.

maxime. Nisi enim ante convenerit quid nomine rei intelligendum sit, disceptatio incerta erit et nihil proficiens.

10 Quod autem ad realem definitionem attinet, huius duplex est genus. Prima est, quae rem explicat per principia eius naturam constituentia, sive haec *metaphysica* sint (ut cum aliquid definis per *genus* et *differentiam*, ex. gr. aiendo: homo est animal rationale); sive sint physica, ut cum rem definis per ea, quibus *physice* constituitur, ex. g. si dicas: *homo est compositum quoddam ex corpore et anima rationali*; atque hanc definitionem *essentialem* nominabis. Altera, quae *descriptiva*, vel *descriptio* dici potest, ea est, quae rem per sua attributa ac accidentia manifestat; ut si cum Cicerone (1) homo definiatur: *animal providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii*. Tertia, quam *geneticam* dices, ea erit, quae rei productionem, seu genesim explicat, ut si Cycloidem ita definias, ut dicatur esse, *curva plana genita a puncto quovis circuli cuiusdam sese vertentis supra datam rectam*

Regulae in recta definitione servandae.

1. *Definitio clarior sit definito.* Hinc cum definitur nomen, notiora vocabula; cum vero ipse rei conceptus, notiores ideae sunt afferendae. Qua in re a veritate deerrant, qui definitiones aliquas reales, vitiosas putant, quod verbis a vulgari captu remotioribus exprimantur. Quod dum rentur, vel definitionem realem cum nominali confundunt, vel non cogitant a rudi vulgo sicuti rei principia, ita et voces eadem significantes ignorari.

2. *Definitio genere proximo, et differentia ultima constare debet.* Id enim exigitur ad rem *distincte* a ceteris secernendam. Quod si definitio non fiat per principia metaphysica, notionibus constet, quae *generi proximo* et *differentiae ultimae* aequivaleant.

3. *Definitio talis sit, ut cum definito invicem converti possit.* Hoc praeceptum tanti momenti est, ut ex ipso fere notescat utrum, definitio omnibus careat vitiis.

4. In *definitione nihil redundet, nihil desideretur.* Secus aut rei notio non satis evolvitur, aut voces et ideae promuntur incassum.

5. *Res definienda quoad respectum, sub quo definitur, definitionem minime ingrediatur.* Quod nisi fiat, *circulus*, ut aiunt, *vitiosus* inducitur, ideaque ignota per ignotam declarabitur.

10. Ac quoniam, *generis*, *differentiae*, *speciei*, *attributi*, et *accidentis* facta mentio est: quid quaeque earum notionum sit, summatim placet innuere. Itaque ideam universalem eam esse diximus, qua continetur notio rebus pluribus competens. Iam vero quod notio quaedam communis sit multis, id quinque partium o-

(1) L. 1. de Leg. c. 7.

ritur ex aliqua. Aut enim ad earum rerum *essentiam* pertinet, aut ad ea, quae essentiae *veluti superadduntur.* Et quidem si ad essentiam pertinet, vel illam totam constituit, vel partem, in qua plures naturae diversae similitudinem servant, vel partem, in qua quaeque dissimiles sunt inter se. Horum trium quae notio primum amplectitur appellatur *species*, quae definiri posset: *notio communis plura respiciens tanquam totam constituens eorum essentiam;* quae secundum, dicitur *genus*, quod definies: *notionem communem, id in quo diversae species conveniunt repraesentantem;* quae tertium, ea audiet *differentia*, quam dices: *notionem communem id, in quo species discriminantur, obiicientem.* Item cum conceptus universalis, aliquid veluti essentiae superveniens repraesentat, id vel cum essentia ita nectitur, ut inde necessario resultet, eique soli et semper insit; vel nexum hunc non servat. Si primum, habetur *attributum*; sin posterius, *accidens*; quorum definitiones ex iis quae dicta sunt facile comparabis. Ut quisque igitur optime perspicit, quinque illis vocibus quintuplex ideae universalis respectus innuitur, quo haec multifariam alteri potest attribui. Atque ut hominis utamur exemplo, idea *animalis rationalis* utpote totam hominis naturam exprimens *species* dicenda foret; idea *animalis*, quae partem tantum naturae offert, et quidem tum homini, tum brutis communem, *genus* nuncuparetur; idea *rationalis*, quae notioni *animalis* accedens naturam humanam determinat, a caeterisque secernit, *differentia* diceretur; *ridendi capacitas*, quae homini *semper soli et necessario* inest, *attributi* exhiberet notionem; *albedo*, quae etsi in magna hominum parte reperitur, tamen non eadem ratione, qua attributum, competit, *accidentis* idea contineretur. Denique animadvertendum est genus dividi in maxime *remotum* quod *supremum* appellant; *intermedium*, quod etiam *subalternum* nominant; et *proximum* quod etiam infimum vocant. Idem dicatur de specie ac differentia. Genus supremum illud est, quod supra se notionem nullam habet, quae proprii nominis genus esse possit. Talis est ex: g: respectu diversarum substantiarum ipsamet substantiae notio, qua superior in eo genere nulla est. Species suprema ea dicitur, quae supremo generi immediate succedit; tales sunt, *substantia materialis*, *substantia immaterialis;* hae enim sunt species in quas supremum substantiae genus immediate dispescitur. Suprema differentia ea est, quae supremo generi copulata, supremam speciem componit, ut notio *materialis* et *immaterialis* in allato exemplo. Genus infimum illud est, quod sub se notionem nullam continet, quae genus esse possit; ex: gr: *animal* respectu hominis saltem, nam respectu brutorum in alia genera iure dividitur. Species infima ea est, quae sub se nullam aliam speciem continet, sed individua tantum eiusdem speciei, sit ex: gr: notio *hominis*. Differentia autem *infima* seu *ultima* ea est, quae infimam speciem determinat ut *rationalis* etiam respectu hominis. Denique genus intermedium illud dicitur, quod tum supra, tum etiam infra se aliud genus habet, qualis foret notio *substantiae ma-*

terialis, notio *viventis* aliaeque plures. Item species intermediae eae sunt, quae alicui speciei subiiciuntur et in alias dividi possunt, ut *animal*. Tandem differentias intermedias eas appellabis, quae intermedias species constituunt. Ex quibus inferes genus supremum nullo modo esse speciem; speciem infimam nullo esse genus; genera vero intermedia, sub diverso respectu etiam species vel supremas vel subalternas dici posse. Etsi enim quatenus in inferiores species dividuntur generis rationem habent, tamen quatenus superius genus partiuntur, conceptum induunt speciei. At de definitione hactenus: iam ad divisionem pergamus.

11. Mentis humanae imbecillitatis est, non posse rem notionemque complexam uno intuitu distincte percipere. Quapropter ad distinctam illius ideam comparandam, ipsam in ea, quibus constat, partiamur oportet. Id fit ope divisionis, quam tanti extimavit Plato, ut asseruerit (1) » si nactus fuero ducem qui recte partiri sciat eius ego vestigia ut Dei cuiusdam sequar » Iam divisio, ut ex dictis intelligi potest, oratio est totum in suas partes distribuens. Quare iuxta diversitatem totius, diversitas oritur divisionis. At vero totum triplex est: *actuale*, *potestativum*, *accidentale*. Primum illud dicimus, quod ex partibus *actualibus* coalescit, ut homo ex anima et corpore: unde partitio, quae rem per has explicat, non immerito *actualis* nuncuparetur. Exemplo sit isthaec: *hominis alia pars est animus*, *alia corpus*. Ac quidem triplici potest ratione perfici, prout totius numerantur vel partes *essentiales* et *physicae*, ut *anima* et *corpus* quoad hominem; vel *essentiales* quidem, sed *metaphysicae*, ut *animalitas* et *rationalitas* respectu eiusdem; vel denique *integrantes* tantum, eae nimirum, quae illius quantitatem conflant, ut parietes, pavimentum, testudo respectu huius exedrae. Alterum totum illud audit, quod cogitatur veluti constans partibus, quas non *actu* sed *potestate* continet; cuiusmodi est quaevis universalis notio quoad inferiora, quae complectitur. Haec enim, etsi ut conceptus simplicior, a particularibus, quae determinata sunt magis, considerandis avocatur: tamen aliarum notarum accessu restringi potest, atque in varias species veluti in totidem dispesci partes. Divisio, quae has partes enumerat, potentialis nuncupetur: cuius exemplum haec sit: *animal aliud est ratione privatum*, *aliud ratione pollens*. Denique tertium est totum illud, quod tale censetur respectu nonnullorum *accidentium*, ratione quorum multifariam dispartitur. Divisio id faciens accidentalis vocitetur, et tripliciter peragi potest: nimirum vel dividendo subiectum ratione accidentium, quibus afficitur; ut hominem in *album*, et *nigrum*; vel accidens ratione subiecti, cui inhaereat, ut album in *niveum*, et *cygneum*; vel tandem accidens ratione aliorum accidentium quibuscum societur, ut si album in *amarum*, et *dulce* dispertias.

(1) in Phaedro.

Regulae legitimae divisionis,

1. *Divisio brevis sit oportet.* Secus, dum rei ideam distinctiorem quaerimus, confusiorem efficimus. Unde ad partes minimas non descendat.

2. *Fiat per membra se invicem excludentia*, Quocirca vitiosa esset partitio, qua tellus in Europam, Africam, Aegyptum, Asiam, et Americam tribueretur.

3. *Quamlibet partem dividentem excedat.* Unde animal in irrationale, et sentiens perperam dispertiretur.

4. *Membra dividentia totum divisum exhauriant.* Proinde divisio sit eiusmodi, ut cum re divisa, et vicissim haec cum ipsa converti possit. Quae regula lydius lapis est, quo utrum legitima divisio sit internoscatur.

CAPUT SECUNDUM.

DE IUDICIO EIUSQUE SIGNO.

ARTICULUS PRIMUS.

De iudicio, ac propositionis natura.

12. Altera mentis humanae operatio, *iudicium* est, quod tum habetur, cum mens, duabus ideis inter se comparatis, eas aut affirmatione coniungit, aut negatione separat. Quare ad iudicium mera idearum comparatio haud sufficit; sed opus est ut ideis, quae mutuo conferuntur, intellectus assensus, vel dissensus accedat (1). Etsi enim comparatio ante requiritur, eaque posita, iudicium fere semper consequatur (adeo cum illa colligatum est, et veluti implicitum): fieri tamen potest aliquando, ut mens plures ideas inter se componat, et conferat; quin tamen iudicium praestet. At enim in quo iudicium, seu mentis assensus, vel dissensus est positus? Equidem existimo ipsum nil esse aliud nisi perspicientiam et intuitum convenientiae, vel discrepantiae idearum, quae invicem comparantur. Intellectus enim triplici modo se habere potest, cum duas ideas contemplatur; nimirum aut perspicit eas inter se congruere, aut dissidere, aut neutrum. Si hoc tertium acciderit; mensadhuc in simplici apprehensione versatur; sin primum vel alterum, tunc illud ipsum iudicium erit. Nam perceptio omnis veluti quaedam dictio mentis est: proinde idem est prorsus percipere aliquid, ac id ipsum, quod percipitur, asserere. Mens igitur ut convenientiam, vel discrepantiam idearum asserat, sat erit eandem acie illius percipi; atque in hac intuitione intellectuali, mentis assensus vel dis-

(1) Vid. Rosminum Nuovo saggio sull' or. delle idee. V. 1. c. 2. a. 8.

sensus iure ponetur. Qua in re hallucinatur Storchenavius, qui (1) contendit perceptionem eiusmodi distingui a iudicio, ipsique praeire; non cogitans se, dum haec statuit, in circulum, ut aiunt, vitiosum induci. Cum enim iudicium actus quidam sit facultatis cognoscendi, ac proinde per ipsum quidpiam certo cognosci oporteat: si ab auctore laudato perquirerem quid proprie per iudicium, in quantum tale est, mens capiat cognitionis; non video quid aliud ille proferre quiret, nisi perspicientiam concordiae vel repugnantiae idearum. Praeter hanc enim et ipsas ideas, nihil est tertium, quod duae ideae simul collatae possint quoad percipiendum suppeditare. Atque ita in nostram opinionem, dum cavet, incurret invitus.

Quibus expositis intelligitur quid notitiae simplici apprehensioni per iudicium addatur: nimirum intuitio pugnae vel convenientiae idearum quae comparantur: cum antea apprehensione simplici nonnisi contemplatio sola earumdem contineretur. Illud etiam fit manifestum, quod, etsi iudicium simplex quidam sit mentis actus; tamen ratione obiecti et modi, quo in nobis gignitur, complexus haberi debeat, Nam in nexu vel discrepantia duarum idearum cogitanda, ut dixi, versatur; ad idque duabus ideis comparandis mens pervenit. Atque de distincta iudicii notione satis quidem dictum est.

13. Signum seu expressio externa iudicii *propositio*, vel etiam *enunciatio* nominatur; quae proinde definiri potest: *aliquid de aliquo affirmans, aut negans oratio.* Ex quo intelligitur eam constare oportere duobus terminis: altero, qui enuncietur, quique proinde praedicatum, vel attributum audit; altero, de quo enuncietur, quique idcirco subiectum appellatur. At vero termini, si soli sumantur, propositionem nullam efficiunt. Ita si dicas: *Tullius Orator*, etsi aliquid mente agitas; tamen nihil ea oratione affirmasti aut negasti. Contra si dicas: *Tullius est Orator*, propositionem habebis. Termini igitur nonnisi *materiam* dumtaxat propositionis exhibent; sed *forma* eiusdem verbo illo continetur, quod eos simul iungens ad aliquid affirmandum, aut negandum inflectit. Porro id ex hoc munere copulae nomen duxit, et substantivi verbi *sum*, *es*, *est* praesenti tempore revera continetur; quippe cum praesentem actum significet, quo mens de subiecto pronuntiat attributum. Propositionis igitur tria sunt elementa: *subiectum*, *attributum*, *copula;* quorum duo priora hoc tertio invicem colligantur. Sic in superiori exemplo, *Tullius* foret subiectum, *orator* attributum, *est* copula. Ad propositionis structuram noscendam plenius, considerare oportet, posse terminos non una tantum, sed multiplici voce coalescere; quod ubi contigerit, termini non erunt simplices sed complexi. Sic propositio haec: *vir honestus est omni adversa fortuna securus*, complexis constat terminis. Vicissim aliquando subiectum vel attributum desiderari videtur; cum tamen non sit ita, sed in verbo

(1) Log. l. I. cap. 8.

implicitum lateat, ex quo, resolutione quadam, evolvi potest. Exempla sint haec; *ille legit; es tristis; disco;* quae revera propositiones sunt: his enim aequivalent: *ille est legens; tu es tristis; ego sum discens*. Ex hoc etiam apparet copulam quandoque non expressam haberi, sed vel adiectivo verbo, vel substantivi tempore non praesenti implexam. Sic propositio: *Petrus currit* in verbo *currit* continet copulam et praedicatum; verti enim potest in hanc: *Petrus est currens*. Itemque haec, *Alexander fuit Persarum debellator*, sensum eiusmodi complectitur: *Alexander est is qui fuit Persarum debellator*. Atque haec est propositionis illius dialectica expressio. Sed de structura propositionis satis; ad reliqua pergamus.

ARTICULUS SECUNDUS

De propositionum partitione.

14. Ad Propositionem conflandam duo vidimus exquiri: *copulam* nimirum et *terminos*; illa dicitur *forma*, hi *materia*. Verum de terminis considerari insuper potest qua latitudine sumantur, atque hanc propositionis *extensionem* nominabis. Ratione itaque horum trium: *formae*, *materiae*, *extensionis* diversa propositionum genera oriuntur. Ac in primis quoad formam, propositio esse potest aut *affirmans*, aut *negans*. Copula enim seu forma, dum terminos iungit, reperiri potest aut sola, aut particulam *non* praefixam habens. Si primum evenerit, propositio erit affirmans, ut *Petrus est homo*; sin alterum, propositio erit negans, ut: *Petrus non est lapis*. Haec affirmatio, vel negatio propositionis ex forma resultans, solet a dialecticis *qualitas* appellari. Porro duobus his tertium genus accenset Kantius, propositionem videlicet eam, quae attributum negativum de subiecto enuntiet, ut haec: *animus est non mortalis*; quam ipse *infinitam* appellat. At membrum hoc vere redundat, cum ad classem propositionum affirmantium revocetur, cuius nil interest utrum praedicatum, seu attributum, positivum sit an negativum, modo copula negantem particulam nullam habeat. Harum propositionum quae affirmat, negante longe praestantior est; quippe quae docet *quid res sit*, illa vero *quid non sit*. Ordine etiam cognitionis antevertit; negatio siquidem in affirmatione fundatur. Secundo ratione extensionis propositio partienda venit in *universalem*, *particularem*, *indefinitam*, et *singularem*. Universalis ea dicitur, cuius subiectum sit terminus universalis generatim acceptus, ita ut praedicatum singulis inferioribus tribuatur; quod sane innuitur per aliquam particulam, quae huius universalitatis sit nota ex. gr. *omnis, nullus*, aliaeque similes. Unde has enunciationes: *omnis homo est animal; nullus equus est rationalis*, merito universales appellabis. Particularis est, cuius subiectum sit terminus universalis, sed quoad partem acceptus; ita ut praedicatum aliquibus tantum ex inferioribus tribuatur; quod

innuitur per particulam, quae huius diminutae acceptionis sit nota ex. gr. *aliquis, nonnullus* etc. Exemplo sit: *aliquis homo est albus; aliquis homo non est sapiens.* Enunciatio denique singularis ea est, cuius subiectum est terminus singularis, ex. gr. *Petrus ambulat.* Tertio, ratione materiae propositio dispescitur in simplicem et compositam. Simplex erit, quae unico subiecto et praedicato constet, etsi alterutrum complexum sit, modo plures terminos ope alterius particulae non connectat; exemplum sint: *Sol est lucidus; Vir frugi non expavet mortem.* Contra propositio composita erit, si aut pluribus propositionibus coalescet, aut attributo vel subiecto, quae plures terminos particulae cuiusdam vinculo copulent. Haec autem quatruplex esse potest: *conditionalis, copulativa, disiunctiva*, et *causalis. Conditionalis* ea est, qua plura praedicata, vel plures enunciationes per particulam *si* nectuntur: ex. gr. *si es homo, es animal.* Dici solet etiam *hypothetica;* cum contra ea propositio, quae absolute praedicatum subiecto tribuit, *categorica* vocitetur. Ex huiusmodi praedicatis, vel enunciationibus illa, quae per particulam *si* quodammodo suspenditur, appellatur *conditio* vel *antecedens*; altera, quae ex huius positione consequitur, *conditionatum* vel *consequens* audit. Porro veritas huius propositionis in nexu inter conditionem et conditionatum intercedente reponitur. Quare dummodo hic nexus adsit, conditionalis enunciatio veritatem habet, etiamsi tum conditio, tum conditionatum falsa fuerint. Cavendum tamen est, ne in ipsa connexione involvatur contradictio; tunc enim conditionalis contradictoria evadit; ac proinde ex ipsa utraque pars contradictionis sequitur. *Copulativa* enunciatio ea est, in qua plures termini, vel enunciationes ope particulae *et* mutuo copulantur, ex. gr. *Petrus est doctus, et dives.* Severe iudicando, tota propositio vera non est, nisi utraque pars vera sit. *Disiunctiva* dicitur, quae plures terminos, aut enunciationes per particulam *disiunctivam* nectit, ut illud Terentii: *aut amat, aut odit mulier; nihil est tertium.* Ad eius veritatem requiritur tum ut distributio sit completa, ac proinde non adsit medium, tum ut una saltem divisionis pars vera sit. *Causalis* denique illa dicitur, quae plures terminos, aut enunciationes per particulam *causalem* iungit; ut si dicas: *homo est liber quia rationalis.* Ad eius veritatem requiritur, ut id quod instar causae profertur, reapse hoc sibi vindicet.

15. Ad genus propositionum compositarum, revocari etiam possunt eae, quae *modales* et quae *exponibiles* a dialecticis appellantur; de quibus consentaneum erit aliquid summatim attingere. Iam age propositio modalis nominatur, quae enuntiat etiam *modum*, quo praedicatum subiecto convenit. Hic autem positus est in rebus quatuor: *necessitate, contingentia, possibilitate, impossibilitate.* Sequentes igitur, similesve enunciationes modales appellantur: *homo necessario est rationalis; lapis contingenter est albus; alter mundus possibilis est; impossibile est, ut brutum ratiocinetur.* Ut autem enunciatio eiusmodi vera sit, non sufficit praedicatum subiecto congrue-

re; nisi etiam eo, quo asseritur, modo competat. Denique exponibilis enunciatio vocatur, quae specie tenus simplex est, reapse autem composita; soletque proinde perspicuitatis gratia in aperto compositam propositionem verti, quae idcirco eius *exponens* nuncupatur. Harum genus triplex potissimum recensetur: *exclusiva*, *exceptiva*, *reduplicativa*. Prima est enunciatio, cui admiscetur particula excludens, *dumtaxat, tantum* etc. ut: *Deus tantum est aeternus.* Exponitur per hanc compositam: *Deus est aeternus et omne aliud, quod Deus non sit, non est aeternum.* Altera ea est, cui interseritur particula excipiens *praeter* etc. ex. gr. *omne ens liberum, praeter Deum, est natura sua peccato obnoxium*; Exponitur per hanc compositam: *Deus est peccandi nescius, et caetera omnia entia libera peccare possunt.* Adverto tamen, saepe per propositionem exceptivam ita affirmari aliquid, ut tamen non affirmetur oppositum de re, quae excipitur, idque a mente enunciationem proferentis pendet, qui proinde in tali casu, semet explicare tenetur. Atque in hoc potissimum cernitur discrimen huius enunciationis ab *exclusiva* quae vi sua semper contrarium praedicatum parti, quam excludit, impertit. Tertia denique ea est, quae particula *reduplicante* afficitur, *quatenus*, *prout*, *in quantum* etc: veluti si dicas: *homo, quatenus homo, est liber.* Exponitur: *homo est liber, et libertas ipsi convenit ratione humanitatis.*

ARTICULUS TERTIUS

De propositionum proprietatibus.

16. Praecipua propositionum proprietas, cuius consideratio nequit praetermitti, est *oppositio*, quam rite definias: repugnantiam, vel diversitatem duarum propositionum eosdem habentium terminos, sed vel quantitate, vel qualitate, vel utraque discrepantium. Hinc quatuor manant oppositionum genera. Vel enim duae enunciationes differunt qualitate simul, et quantitate, et hae dicuntur *contradictoriae*; vel qualitate tantum, sed ambae universales sint, et *contrariae* nuncupantur, vel item qualitate dissident, sed ambae sint particulares, et *subcontrariae* audiunt; vel denique quantitate dumtaxat differunt; et *subalternae* vocitantur. Huius postremae classis universalis *subalternans*, particularis *subalternata* dicitur.

17. Recensita oppositionum genera his tenentur legibus. **1.** Duae contradictoriae simul verae aut falsae esse non possunt: quippe utraque id negat, quod altera affirmat. Nam particularis propositio hoc ipso, quod differt etiam qualitate ab universali, huius assertionem perimit. Quare cum impossibile sit idem simul esse et non esse, nequeunt ambae hae propositiones simul perfrui veritate; secus idem obiectum, sub iisdem omnibus respectibus, vi unius enunciationis esset, vi alterius non esset. Nequeunt autem esse simul falsae; quia cum sit itidem principium certum, quodlibet vel esse, vel non esse; hoc ipso quod pars negans destruitur,

adstruitur affirmans, et vicissim. Sic harum propositionum: *omnis homo est doctus*, *aliquis homo non est doctus*; alterutram veram esse oportet. 2. Duae contrariae possunt esse simul falsae (nil enim absurdi inde consequitur) ; at non possunt esse simul verae; secus duae contradictoriae veritate gauderent : siquidem posita veritate enunciationis universalis, ponenda etiam esset veritas particularis, quam illa complectitur. Sic harum contrariarum : *omnis homo est albus*, *nullus homo est albus*, si atraque vera foret; forent etiam verae hae duae particulares: *aliquis homo est albus*, (quae alterutri ex superioribus, *nullus homo est albus* contradictorie opponitur) et *aliquis homo non est albus* (quae contradicit alteri, *omnis homo est albus*). Ergo si duae contrariae simul verae essent, verae etiam essent duae contradictoriae; atque ideo idem simul esset et non esset, quod repugnat. 3. Duae subcontrariae possunt esse simul verae (quippe cum nihil obstet) ; at nequeunt esse simul falsae, quia secus essent simul verae duae contrariae, quod repugnans esse superius diximus. Et sane si simul falsae essent ex : gr: hae duae subcontrariae: *aliquis homo est iustus*, *aliquis homo non est iustus*; per legem primam essent etiam verae earum contradictoriae, quae inter se contrariae sunt, ac proinde per legem secundam simul verae esse non posssunt. 4. Duae subalternae possunt esse simul verae, et simul falsae ; at posita veritate subalternantis, subalternatam etiam veram esse oportet ; contra posita falsitate huius, et illa quoque falsa sit necesse est. Ratio cuivis apparet; nam nequit per veritatem enunciationis universalis attributum convenire omnibus, quin hoc ipso conveniat aliquibus : vicissim si falsum est, alicui praedicatum competere ; multo magis falsum erit competere omnibus.

17. Pauca adiiciam de *aequipollentia*, et *conversione* propositionum; quae notitia inutilis putanda non est. Atque ut a prima exordiar, aequipollentia audit, duarum propositionum eadem vis, eademque significatio. Ut autem noscatur modus, quo ex oppositis enunciationibus aequipollentes habeantur, ita ut una ad alterius non modo sententiam sed etiam expressionem reducatur: animadvertendum est, particulam *non* dictionis, cui praefigitur, sensum invertere. Quamobrem si qualitati tantum alicuius enunciationis praeponitur, eam in contrariam mutat : sin vero tum qualitati, tum quantitati, utramque in oppositam flectit. Hinc si cupis aequivalentem contradictoriae, praepone negantem particulam toti enunciationi, ita enim eius quantitatem, et qualitatem mutabis. Sic ex hac: *nullus homo est albus*, habebis : *non nullus homo est albus*, seu *aliquis homo est albus*. Si autem aequivalentem contrariae vel subcontrariae poscis; quoniam ad id inverti debet sola qualitas, praefige particulam *non* copulae dumtaxat, in qua affirmatio continetur. Sic ex eiusmodi propositione: *omnis homo est albus*, hanc efficies: *omnis homo non est albus*, seu *nullus homo est albus*. Idem de subcontrariis experiare. Si demum mavis aequivalentem subalternae : cum ad id solius quantitatis exquiratur mutatio ; praepone particulam *non* cum

toti propositioni, tum etiam copulae; sic enim fiet ut sola quantitas immutetur, ut paululum attendenti patet, et experimento firmari potest. Nam si huius propositionis: *nullus homo est sapiens*, tum subiecto tum copulae praefigas particulam *non*, hanc conflabis: *non nullus homo* (hoc est aliquis homo) *non est sapiens*; quae subalterna est priori. Tandem conversio est unius enunciationis ad alteram per terminorum transpositionem necessaria illatio. Unde ita inverti debent termini, ut posita veritate enunciationis quae convertitur, inversa, quae deducitur, etiam vera sit. Quare triplex exurgit conversionis genus: *simplex*, *per accidens*, *per contrapositionem*. Prima est, cum servatur eadem propositionis quantitas, quae proinde locum habere potest tantum in universali negativa, et particulari affirmativa, ut si dicas: *nullus equus est homo*, *ergo nullus homo est equus*; *vel aliquis homo est albus*, *ergo aliquod album est homo*. Conversio per accidens ea est, qua ita mutatur enunciationis quantitas, ut ex universali particularis evadat. Haec locum habere potest in omni propositione universali; recte enim diceretur: *omnis lapis est substantia*, *ergo aliqua substantia est lapis*; vel: *nullus homo est simplex*, *ergo aliquod simplex non est homo*. Conversio per contrapositionem illa est, in qua retinetur eadem quantitas enunciationis, sed termini ex aientibus fiunt negantes. Locum habet in particulari negativa, et universali affirmativa. Sic iure inferes: *aliquis homo non est lapis*, *ergo aliquid non lapis*, *non est non homo*; vel: *omnis homo est animal*, *ergo omne non animal est non homo*.

CAPUT TERTIUM

DE INFERENDI ACTU, DEQUE RATIOCINII EXPRESSIONE.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid inferendi actum constituat; tum de argumentatione, et de structura Syllogismi.

18. Ut iam initio dialecticae exposuimus, ea operatio, qua mens ex una veritate nota, ad alterius sibi ignotae notitiam pergit, ratiocinatio appellatur, quae proinde definitur a Tullio ita ut sit *ratio quae ex rebus perceptis ad id quod non percipiebatur adducit* (1). Qua in re duo exquiruntur: iudicia nimirum aliqua, et mutuus eorumdem nexus; Iudicia quidem quippe mens iudicando veritatem complete assequitur; nexus vero, quia nequit ex uno iudicio aliud inferri, nisi hoc ita illi implicitum esse ac innexum pervideatur, ut veritas unius sine alterius veritate constare non possit. Secus si nexus hic desideratur, etiamsi plura obiiciantur iudicia, nunquam tamen mens ex uno alterum derivabit. Quanquam igi-

(1) Acad. l. 4. c. 8.

tur iudicia postulantur tanquam materia, unde constet ratiocinatio; id tamen quod proprie hanc constituit, seu ipsa ratiocinationis forma (quae actu inferendi continetur) in intuitione nexus inter unum aliudque iudicium intercedentis situm est. Atque hanc consequutionis perspicientia illud constituit, quod ratiocinatio mero superaddit iudicio. Quare sicuti iudicium ex duabus ideis inter se conferendis, ita ratiocinium ex duorum vel plurium iudiciorum mutua comparatione resultat. Ut autem videatur modus, quo mens huc devenit; exemplo rem veluti sub aspectum proponamus. Finge, sis, ignorare te utrum animus seu principium, unde in homine emergit cogitato, sit simplex nec ne. Ut iudicii huius veritatem contuearo, ad alia confugias opus est, quorum veritas cum superiori, quam anquiris, necessario quodam vinculo colligetur. Assume igitur iudicium hoc quod aliunde tibi notum statuatur: *principium cogitationis est simplex*; cum autem iam scias nomine animi principium cogitationis intelligi, sic eiusmodi iudicia comparando dispones: *principium cogitationis est simplex; sed animus est principium cogitationis; ergo animus est simplex.* Ex quo facile perspicitur, totum ratiocinii opificium in eo poni, quod iudicia nonnulla inter se conferantur; quorum tamen veritas tali copulata sit vinculo, ut, eiusmodi dispositione praeposita, unius ab alterius notione mens nequeat separare. Qua de re duplicem utilitatem importat ratiocinatio, quatenus et ad ignoti notitiam ducit, et ipsas veritates iam notas ordine instruit, ut facilius retineantur ad scientiaeque normam aptentur.

19. Expressio, qua ratiocinium mente latens, exstrinsecus significatur, generatim *argumentatio* dicitur, quae proinde definiri potest: oratio, qua propositio una ex alia infertur. Porro ea, unde infertur, *antecedens*; ea quae infertur, *consequens*; ipsa consequentis ex antecedente derivatio *consequentia* nominatur. Quae, uti patet, non est idem ac consequens; potestque aliquando vera esse, quin tamen consequens sit verum, et vicissim poterit propositio illata in se esse vera, deductio autem falsa. Porro omnium completissima simul ac simplicissima argumentatio, quae ratiocinationem unam plene esprimat, syllogismo continetur: caeterae siquidem aut mutilum syllogismum exhibent, aut plures, aut syllogismo quasi fundamento nituntur. Quod qua ratione sit mox dicemus; sed de simpliciori hac argumentandi forma paulo fusius ante dicendum est. Syllogismus igitur ea dicitur argumentatio *qua duabus positis propositionibus tertiam consequi necesse est.* Hinc perlucet, quod proxime asserui, ipsum esse completam et simplicissimam ratiocinii expressionem. Ratiocinatio enim tribus iudiciis revera constat; cum in eo tota quantaque est vertatur, ut duas ideas, quarum convenientiam vel pugnam mens non immediate videt, tertiae ideae componat. Sic in superiori exemplo cum utrum animus simplex esset mens ignoraret, tertiam assumpsit ideam, *cogitationis principium*, quacum duplicem illam conferens, ita ratiocinata est: *Cogitationis principium est simplex; sed animus est cogitationis principium; ergo animus est simplex.* Ex qua consi-

deratione patet (quod etsi saepe dictum sit, dicendum tamen est saepius) ineptire omnino eos, qui post Baconem Syllogismum contemptui habuere maxime, ipsumque ne hilum quidem ad veritates detegendas valiturum putarunt. E quorum numero nemo mirabitur esse Lockium, Condillachium, Traeyum ; at mirabitur sane horum aculeis ex turpi Logicae ignoratione profectis suos etiam adiunxisse. Stewartium, virum caeteroqui dignum qui laudetur. Sed illud memoria repetendum, hunc etiam philosophum, etsi saepe naturam diligenter investigarit, tamen in empiristarum haberi numero ; proinde caute admodum esse legendum, ne eius facilitate ac perspicuitate captus in errores quos non raro offendes delabaris. Caeterum profundiora philosophorum ingenia, inter recentiores etiam, syllogismum ab iniquis conatibus vindicatum dignitati suae iam restituerunt (1), nec quisquam in praesenti est, modo aliquid sa-

(1) Vid. praesertim De Gerandus Des signes et de l'art. de penser. Itemque Galluppius Lez. di Log. e Met. Lez. 49. e seguenti. Videri etiam potest Cousin, qui hac in re sic sapienter scribit » Syllogismus legitimus eximiam supponit culturam ; ipse eam simul testatur augetque. Enimvero impossibile est formam cogitationis nil influere in cogitationem ipsam ; ac resolutione ratiocinii in tres terminos *essentiales*, qui eam constituunt, non effici distinctiorem ac securiorem perceptionem relationum convenientiae et discrepantiae, quae illos uniunt aut separant. E ragione positae *maior*, *minor*, *illatio* suos veros respectus ipsae per se patefaciunt, ac sola eorum certa enumerationis vis et dispositionis legititmae vanis plane relationibus obtrudendis repugnat, firmatque ancipitem animum et dissipat phantasmata quibus imaginatio intervalla replet ratiocinationis. Rigor formae se reflectit supra ipsam cogitandi actionem, seque cum ipso ratiocinationis sermone communicat, atque illico cum ipsa generali loquela. Hinc pedetentim quidam severitatis et praecisionis gignuntur habitus, qui in omnes animi operationes migrant, et potenter in intelligentiae evolutionem influunt. Sic reapse legitimi syllogismi apparitio fuit constanter in philosophia certum novae aetatis signum pro methodis et pro scientiis.—Le syllogisme régulier suppose une haute culture, il l'atteste et en même temps il l'augmente. En effet il est impossibile que la forme de la pensée, n' influe pas sur la pensée elle même, et que la décomposition du raisonnement dans les trois termes essentiels qui le constituent ne rende pas plus distincte, et plus sûre la perception des rapports de convenance, et de disconvenance qui les nuissent ou les séparent. Amenées ainsi face à face la majeure, la mineure et la conséquence manifestent d' elles-mêmes leurs vrais rapports et la seule vertu de leur énumération précise et de leur disposition régulière s' oppose, a l'introduction de rapports trop chimériques, et dissipe les à peu près, et les fantômes dont l' imagination remplit les intervalles du raisonnement. La rigueur de la forme se réfléchit sur l' opération de la pensée ; elle se communique à la langue du raisonnement et bientôt à la langue génerale elle-même. De là, peu a peu des habitudes de sévérité et de precision qui passent dans tous les ouvrages d'esprit et influent puissamment sur le développement de l' intelligence. Aussi, de fait, l' apparition du syllogisme régulier dans la philosophie a-t-elle été constamment le signal d' une ère nouvelle pour les methodes et pour les sciences. (Hist de la phil. du dix-huit. siécle Leçon VI.)

piat, qui hanc ratiocinandi formam, eiusque regulas spernere audeat. Sed ad propositum nostrum revertamur.

20. Syllogismus, ut ex ipsa definitione liquet, tribus constat propositionibus, quarum duae, quae praecedunt, *praemissae*, tertia quae infertur, *conclusio* audit. Hinc etiam elucet tribus tantum constare terminis; tot enim ad tres conflandas propositiones exquiruntur. Iam horum illi duo, qui conclusionem efformant, *extremi*, tertius, qui una cum ipsis constituit praemissas, *medius terminus* appellatur. Iterum ex duobus terminis conclusionis, ille qui praedicatum agit, *maior extremus*, eo quod natura sua magis late pateat quam subiectum, eiusque notionem perficiat; ille vero, qui subiectum, *minor extremus* dici solet. Atque ideo ea praemissarum in qua minor extremus cum medio comparatur *minor propositio*; illa in qua maior extremus cum eodem medio termino confertur *maior propositio* nominatur. Quare cum haec soleat primo loco poni; factum est, ut generatim propositio primum prolata *maior* vulgo vocitetur. Denique propositiones unde syllogismus constat *materia proxima*; termini ex quibus ipsae propositiones exurgunt, *materia remota*; artificiosa dispositio ad inferendum requisita syllogismi *forma* audit. Et quoniam haec duabus manat partibus: ratione nimirum vel ipsorum terminorum qui diversimode aptentur, vel ratione propositionum diverso ordine collocatarum: syllogismi forma duplicem denominationem recepit; quatenus enim terminos artificiose disponit syllogismi *figura:* quatenus vero propositiones, syllogismi *modus* nuncupata est. De quibus attingemus non multo post: sed ante de legibus, quibus idonea syllogismi temperatur structura, est disserendum.

ARTICULUS SECUNDUS

De Syllogismi regulis ac fallaciis.

21. Principium omnium legum Syllogismi, et veluti fundamentum artis ratiocinandi veteres omnes post Aristotelem in duobus axiomatibus situm esse perspexere, quae *dictum de omni*, *et dictum de nullo* nominabant. Primum sic enunciari potest: *Quidquid generatim et complete alicui notioni tribuitur, tribui etiam debet particularibus, quae illa complectitur.* Secundum: *Quidquid universim et complete de aliqua notione negatur, negandum etiam est de iis quae continentur in illa.* Verum post innovatam Philosophiam iis a plerisque duo haec suffici coepta sunt: Primum, quod identitatis principium vocant: *quae conveniunt eidem tertio, ea conveniunt inter se*; Secundum, quod repugnantiae effatum appellant: *Quorum alterum congruit uni tertio, alterum non, ea inter se non conveniunt.* Tamen etiam tum non defuere qui veterum sententiam retinendam ducerent; inter quos praecipue Wolfius, qui postquam

duo illa sanxerit principia. sic prosequitur (1) « habemus adeo firmum et inconcussum fundamentum, cui omnis de syllogismo doctrina superstruenda, a veteribus dudum animadversum, a recentioribus vero nonnullis neglectum, quod non satis fuerit intellectum » Sed meliori hac aetate, qua intemperans in veteres odium sat deferbuit, nemo fere est in Logica diligentius aliquanto versatus, qui hac in re veteribus non suffragetur (2), nec intelligat vim omnem Syllogismi in eo cerni, quod particulare aliquod ab universali deducatur. His veluti praeiactis, de generalibus syllogismi regulis dicere aggrediamur; quae memoriam iuvandi gratia his octo versiculis a Dialecticis inclusae sunt.

Terminus esto triplex maior mediusque minorque.
Latius hos quam praemissae conclusio non vult.
Nequaquam medium capiat conclusio oportet.
Aut semel aut iterum medius generaliter esto.
Utraque si praemissa neget, nihil inde sequetur.
Ambae affirmantes nequeunt generare negantem.
Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.
Peiorem sequitur semper conclusio partem.

1.ª Igitur Lex est: *In Syllogismo ne sint plures quam tres termini:* Ratio manifesta est, tota enim Syllogismi structura et vis eo nititur, quod praedicatum conclusionis de subiecto propterea enuntietur, quia idem in praemissis, enuntiatum est de medio, quo subiectum conclusionis continebatur. Ad id autem nonnisi tres termini requiruntur: subiectum conclusionis, praedicatum, et medius, quicum utrumque in praemissis conferatur. Si quartus additur, Syllogismi opificium demitur, suoque destituitur robore.

2.ª Lex est: *Nullus terminus latius pateat in conclusione quam in praemissis.* Etenim secus illatio aliquid complecteretur non contentum in praemissis; nimirum ampliorem illam termini extensionem, qua caruerant praemissae. Quocirca illatio quoad hanc partem ex antecedente non dimanaret, ac Syllogismus eiusmodi revera quatuor constaret terminis. Terminus enim, qui latius patet in conclusione, proprie vereque differt ab eo, qui minus patebat in praemissis.

3.ª Lex est: *Medius terminus ne ingrediatur illationem.* Eius enim partium est comparari in praemissis cum subiecto et praedicato illationis, ut videatur utrum hi inter sese conveniant necne.

4.ª Lex est: *Medius terminus in una saltem praemissarum generatim sumatur.* Ex ipsa syllogismi id fluit natura. Nam aliter illatio *dicto de omni* et *dicto de nullo* non niteretur. Sumpto siquidem medio non quoad totam suam amplitudinem, sed quoad partem dumtaxat; fieri optime posset, ut huic parti praedicatum conclusionis conveniat tantum, quin tamen ideo subiecto etiam illatio-

(1) Phil. ration. par. 1. sec. 3. c. 1. §. 353.
(2) Vid. praesertim Gall. Lez. di Log. e Met; vol. 2 Lez. 48.

nis tribuendum sit. Ideo enim tribuendum esset, quia idem praedicatum in praemissis tributum est *medio*, quo subiectum conclusionis continebatur. At cum *medius* non distribuitur, seu cum non generatim, sed partim accipitur, id vim non habet. Etenim contingere optime poterit ut praedicatum de una *medii* parte enuntietur, dum non haec sed alia, quae omissa est, subiectum illationis complectatur. Exemplo res fiet illustrior. Sume hunc syllogismum: *equus est animal; homo est animal; ergo equus est homo*. Ut vides, medius terminus est *animal*, qui tamen in neutra praemissa distribuitur. Quare non quoad eandem sui partem cum subiecto et praedicato illationis comparatur. Cum enim dicitur *equus est animal*, id verum est de aliqua specie animalis; itemque cum additur *homo est animal* verum etiam est, sed de alia animantis specie. Ut autem pateat utrum medius in praemissis revera generatim sumatur, haec duplex regula spectetur oportet: 1. subiectum in omni et sola propositione universali generatim sumitur; 2. praedicatum vero nonnisi in sola propositione negativa.

5.ª Lex est: *Ex duabus praemissis negantibus nulla sequitur illatio*. Nisi enim alterutra praemissa affirmet unum vel alterum illationis terminum convenire cum medio, nequit inferendo deduci eidem congruere vel dissidere terminum alium, qui per unam praemissarum separatus est a medio, quicum comparabatur. Atque hoc ex natura principiorum, quibus syllogismi vis nititur, emanat, ut animum attendenti patet per sese.

6.ª Lex est: *Ex utraque praemissa affirmante derivari nequit illatio negans*. Haec enim, cum sit veluti praemissarum effectus, nequit complecti quidpiam, quod in neutra contineatur praemissa.

7.ª Lex est: *Ex duabus praemissis particularibus nihil evincitur*. Nam hae praemissae particulares possunt esse vel ambae affirmantes, vel ambae negantes, vel una affirmans altera negans. Nihil horum ad illationem derivandam pollet. Etenim fac in primis ambas praemissas esse affirmantes Profecto cum in particulari affirmativa neque praedicatum neque subiectum propositionis distribuatur; in eiusmodi syllogismo medius terminus nunquam generatim accipitur, contra regulam, quam numero quarto sanximus Ex eo igitur nulla sequi potest illatio. Quod si deinde utraque praemissa fiat negans, laeditur regula quinta, quae ne utraque praemissa sit negans interdicit. Ergo tum etiam ex duplici particulari legitima deductio fieri nequit. Restat igitur ut una praemissarum sit affirmans, altera negans. Sed neque tum illatio ulla sequi potest. Quandoquidem cum in particulari negativa praedicatum dumtaxat generatim sumatur; medius terminus, qui per regulam quartam in alterutra praemissarum generatim accipi debet, hunc locum occupet necesse est. Ergo pro conclusionis terminis, non alia superest praemissarum sedes, nisi situs subiecti et praedicati in propositione particulari affirmativa, et subiecti in propositione particulari negante. Sed in tribus his sedibus terminus nunquam sumitur generatim; ergo termini conclusionis nonnisi particulariter su-

muntur in praemissis. Hoc posito, iam sciscitor illatio re deduci velit affirmans an negans? Si secunda optio deligitur, aliquis terminus latius patebit in illatione quam in praemissis (contra regulam secundam); praedicatum enim illationis negativae generatim sumeretur, cum nonnisi particulariter, ut dixi, sumptus sit in praemissis. Sin autem prima plus arridet, illatio non sequetur debiliorem partem praemissarum, contra id quod mox statuemus.

8.a Lex est: *Conclusio debiliorem partem sequitur praemissarum*. Proinde si alterutra praemissa negatione constet, conclusio erit negans; aut si una praemissa sit particularis, illatio etiam particularis esse debebit. Ratio primi est, quia cum alterutra praemissa est negans, termini conclusionis ita se habent quoad medium, ut eidem non ambo conveniant, sed alter conveniat, alter discrepet. Hoc autem non est fundamentum convenientiae illorum terminorum seu illationis affirmantis; sed discrepantiae, seu illationis negantis. Ratio vero secundi est, quia posita alterutra praemissa particulari, si illatio esset generalis: aliquis terminus latius pateret in illatione quam in praemissis contra praescriptum secundae legis. Et sane duae hypotheses fieri possunt: vel utraque praemissa erit affirmans, vel tantum alterutra. Si ambae affirmabunt, nullus terminus illationis in ipsis sumitur *generatim*. Nam unica sedes acceptionis universalis esset locus subiecti illius praemissae, quae universalis est; hic autem situs usurpatur a *medio*, qui semel saltem in praemissis *distribui* debet. At si illatio esset universalis, *subiectum* huius *generatim* sumeretur. Latius ergo pateret, quam in praemissis. Quod si vero alterutra praemissa erit negans; idem sequitur incommodi. Nam in praemissis eiusmodi, quarum una tantum sit universalis itemque una tantum sit negans, vix duae sedes comperiuntur, in quibus terminus generatim accipitur: nimirum locus subiecti propositionis universalis, et praedicati propositionis negantis. Iam vero harum alterutram sibi vindicat *medius terminus*, qui semel saltem in praemissis *distribuendus* est, seu generatim sumendus (reg. 4.). Ergo una sedes dumtaxat distributionis universalis pro illationis relinquitur terminis. Unus igitur illationis terminus distribuitur in praemissis. Iam quaero, si illatio universalis deduci velit, eritne haec affirmans, an negans? Affirmans esse non poterit, quippe cum alterutra praemissa sit negans. Erit igitur negans et ipsa. At in propositione universali negante *distribuitur* tum subiectum tum praedicatum. Ergo illatio eiusmodi duos habebit terminos universales, quorum unus tantum, ut diximus, universalis fuit in praemissis. Aliquis igitur terminus magis pateret in illatione, quam in praemissis.

Hae leges pro quolibet syllogismo simplici ac categorico valent abunde; compositi autem peculiares vindicant, quae, cum de ipsis agemus, innuentur.

22. Inspectis legibus, reliquum est ut aliquid dicamus de fallaciis. Hae autem non aliud sunt, nisi *argumentationis vitia*; quibus qui inficitur syllogismus, is *sophisma* vel *paralogismus* appel-

latur. Prima itaque fallacia latissime patens est violatio legum syllogismi, quae idcirco prae oculis habendae sunt, ut vitium hocce vitetur: praesertim animadvertendum est ne syllogismus quatuor revera constet terminis, qui specie tenus tres esse videantur. Quod fit ancipitum vocum abusu, significationis *usurpatione* in syllogismo eodem variata. Exemplo sit illud dialecticis tritum: *omnis canis latrare potest; sed aliqua constellatio est canis; ergo aliqua constellatio latrare potest.* Ad hanc fallaciam detegendam opus est ea reminisci, quae de terminis eorumque proprietatibus supra docuimus. Altera est fallacia *sensus compositi et divisi*, quae tum incurritur, cum eo quod duo predicata nequeunt alicui subiecto competere simul, infertur ea neque seorsim convenire posse, vel viceversa; ut si dicas ex: g: *impossibile est vigilantem dormire; sed Petrus vigilat; ergo impossibile est Petrum dormire.* Dissolvitur distinguendo sensum compositum a diviso. Tertia est fallacia *figurae dictionis*, qua delinquitur, cum, quia res diverso modo se habens, vel sub diverso respectu sumpta eadem dictione nominetur, arguitur perinde quasi eodem modo eodemque respectu acciperetur. Ex: g: *ille sepultus hodie est, qui nudius tertius tecum colloquebatur; at is erat homo vivens; ergo sepultus est homo vivens.* Reponitur illum eundem, at non eodem modo se habentem, sed per mortem in cadaver mutatu n, seu, quod idem sonat, eius cadaver sepultum esse. Quarta est fallacia *petitionis principii*, cum ad aliquid probandum, id ipsum, quod probari debet, uti certum assumitur. Ex: gr: si quis animum humanum nunquam esse periturum ostenderet ex hoc principio proficiscens quod animus dissolutioni corporis in perpetuum sit superstes. Quinta est *ignoratio elenchi*, seu argumentationis; qua peccatur cum demostrando alia res evincitur, quam sit ea quae in quaestione versatur. Accidit id plerunque cum disputantes se mutuo non intelligunt, aut cum attentionis defectu, vel dolose, aliorum sententiae in alienam torquentur interpretationem. Sexta est *assumptio non causae pro causa, vel causae partialis pro totali.* Exemplum erit si quis eo quod non pauci philosophi humano generi nocentes fuerint, inferret Philosophiam per se esse malam; vel quia phaenomenon unum aliud sequitur, deduceret posterius a priori procedere, quasi hoc pacto ratiocinans: *hoc post illud; ergo ex illo.* His addo *circulum vitiosum*, cum quis aut eodem recidit, quod vitabat; aut duorum, vicissim unum per aliud probat.

Haec accurate sunt cogitanda, si bonus ratiocinator esse velis. Etsi enim fallaciae, praesertim cum ex ambiguitate dictionis enascuntur, ita sunt putidae et pueriles, ut nonnisi stupidum hominem capiant; tamen nonnunquam fucatae sunt et latentes adeo, ut prudentem etiam, ni valde attendat, decipiant. Potissimum vero leges syllogismorum, quas recensuimus, memoria retinendae sunt ac familiari plane usu terendae, ut possit ratiocinii bonitas facile diiudicari. Ridiculum autem est quod Paulus Costa inquit (1): ad ve-

(1) Eius haec sunt verba » Però è che a distinguere la forma ap-

ram ratiocinationis formam distinguendam a falsa unum sufficere praeceptum, e medio pulsis regulis, quae communiter tradi solent; si nimirum attendatur utrum praedicatum *minoris*, subiecto *maioris* contineatur, ipsumque hunc respectum exprimat illatio. At etiamsi Costae largirer praeceptum huiusmodi sic nude acceptum verum esse, et non pro prima tantum sed pro omnibus syllogismi *figuris* valiturum; tamen ex eo ineptum proderetur, quod illud ipsum utrum in syllogismo servetur necne nequeat facile perspici, nisi regulae a dialecticis excogitatae spectentur, quas ipse contemnit immerito.

ARTICULUS TERTIUS.

De syllogismi diversis speciebus.

23. Syllogismus ratione materiae seu propositionum, quibus constat dispesci potest in *simplicem* et *compositum*. Ille est qui propositionibus simplicibus; hic qui vel alterutra, vel utraque composita praemissa conflatur. De posteriori hoc genere aliquid breviter eloquendum; in quo potissimum considerationem merentur *conditionalis, disiunctivus, copulativus. Porro conditionalis* (qui etiam *hypotheticus* dicitur) is est, qui utramque vel alterutram praemissam conditionalem habet; ut: *si illuxit, solis ortus propinquat; atqui illuxit; ergo solis ortus propinquat.* Dupliciter argui potest: ex positione antecedentis ad positionem consequentis, veluti cum dicas: *si loquitur vivit*; *sed loquitur*; *ergo vivit*: vel ex negatione consequentis ad negationem antecedentis; ut: *si dies est lucet; atqui non lucet; ergo non est dies.* Ratio harum legum est, quia ex vero non sequitur nisi verum. Contra non posset ex falsitate antecedentis inferri falsitas consequentis; vel ex veritate huius, veritas illius; quippe ex falso per accidens, ut aiunt, deduci potest aliquando verum; ut si dicas: *omnis substantia est composita*; *sed lapis est substantia*; *ergo lapis est compositus.* Maior propositio falsissima est; tamen consequens, quod manat; est verum. Syllogismus *disiunctivus* audit, qui praemissam aliquam continet disiunctivam; ex ipsoque per exclusionem caeterarum partium, quae distribuuntur, inferri potest pars relicta; ut: *vel degis in Europa vel in Africa*; *non in Europa; ergo in Africa.* At curandum est ne divisio partium, quae numerantur manca sit; secus negatione ipsius, argumentum eluditur. Syllogimus *copulativus* nominatur cum una

parente dalla verità basterà una regola sola, lasciate da parte tutte le altre che i dialettici insegnano. La regola è questa: poni mente se l'attributo della minore sia identico col soggetto della maggiore, o identicamente inclusovi, e se la conseguenza esprima questo rapporto, portando seco l'aggiunto dell'attributo espresso nella maggiore. La serie de' giudizî, che manca di questa proprietà, è sofisma verbale. (Del modo di comporre le idee etc. c. 22. §. 4.)

saltem praemissa copulativa constat. Hic si talis erit ratione praedicati, quod plura de subiecto collectim neget: tum ex positione unius partis attributi, inferri potest exclusio alterius; ut si dicas: *nemo inservire potest Deo et pecuniae*; *atqui multi inserviunt pecuniae*; *ergo non inserviunt Deo*. Viceversa vim non habuisset, si dixisses: *atqui multi non inserviunt pecuniae*; *ergo inserviunt Deo*. Possent enim altero turpari vitio, quo ne Deo vacarent praepedirentur. Atque haec hactenus. Alias enim partitiones non prosequor, ne praecepta nimium exerescant; cum praesertim pleraeque ratiocinandi formae ut diiudicentur, sat erit ad generales syllogismi leges et sensum propositionum diligenter attendere.

24. Tantum omitti omnino hic non debet notitia aliqua illius partitionis, quae ex dispositione seu forma syllogismi desumi potest, quaeque modos omnes quibus ratiocinari mens possit ostendit. Haec autem habetur sic: Tres termini, quibus propositiones, unde constat syllogismus, conflantur, certe multifariam inter se respectu illationis aptari possunt et disponi. Eiusmodi apta terminorum quoad inferendum dispositio, *syllogismi figura* nominata est a veteribus. Quot igitur modis hi termini in syllogismo disponi possunt, tot diversae *figurae* habeantur necesse est. At vero haec diversa ratio disponendi terminos triplex est. Nam vel hi ita collocantur, ut medius terminus in praemissis *bis praedicatum*, vel ut *bis subiectum*, vel ut *semel praedicatum*, *semel subiectum* agat. Si hoc ultimum fiat; talis dispositio *prima figura* vocatur; si *primum*, *secunda*; sin demum alterum, tertia exurgit. Exemplum primae figurae sit; *omne rationale est liberum*; *omnis homo est rationalis*; ergo *omnis homo est liber*. Exemplum secundae sit: *omne spirituale est immortale*; *sed nullus equus est immortalis*: *ergo nullus equus est spiritualis*. Exemplum tertiae: *Omnis homo est rationalis*; *sed omnis homo est animal*; *ergo aliquod animal est rationale*. Praeterea animavertendum est primam figuram concludere posse non modo *directe*, sed etiam *indirecte*. Conclusio *directa* dicitur, cum termini illationis eumdem locum in ea occupant, ac occupabant in praemissis; ita ut is qui in praemissis praedicatum agit, sit praedicatum in conclusione; is qui subiectum, subiecti munere fungatur. Conclusio *indirecta* audit, cum contra termini in conclusione sedem habent diversam ab ea, quam habuerunt in praemissis. Exemplo sit hic syllogismus: *omne rationale est animal*; *sed omnis homo est rationalis*; *ergo aliquod animal est homo*. Hoc autem contingere non potest, nisi in prima figura. Nam duae reliquae terminos ita habent, ut alter eandem sedem occupet ac in praemissis; alter vero diversam, ut paulum attendenti patet. Tribus igitur figuris quarta addi potest, indirecta nimirum primae. Ex his, sexaginta quatuor emergunt syllogismorum *modi*. Est enim *syllogismi modus* artificiosa praemissarum secundum *qualitatem* vel *quantitatem* dispositio. Quocirca tot exoriantur oportet, quot dispositiuras praemissae in syllogismo nancisci possunt. Quae revera ad sexaginta quatuor erunt numero; quippe cum in quavis figura sint se-

decim. Nam figura quaelibet, vel ita suas praemissas disponit, ut ambae sint universales, vel ut ambae particulares, vel ut maior sit universalis, minor particularis; vel denique viceversa. Itemque quilibet horum syllogismorum variari iterum potest quadrifariam. Si enim sumitur ex: gr: utraque praemissa universalis; hae vel erunt ambae affirmantes, vel ambae negantes, vel maior affirmans, et minor negans, vel contra. Singula igitur quadripartitae superioris divisionis membra quadruplicari debent. Sed quatuor quater sumptum suppeditat sedecim. In quavis ergo *figura* hunc numerun habebis: qui cum denuo (siquidem figurae sunt quatuor) in quadruplum duci debeat, supputatis omnibus, sexaginta quatuor exurgent syllogismorum *modi*. At non horum singuli ad inferendum valent; non enim omnes sed novendecim tantum syllogismi regulas servant. Quod quinam sit hic ostendere non necessarium iudicamus; qui autem videre cupit, adeat is Wolfium (1) vel Galluppium (2) fuse haec explicantes, aut etiam, si volet, accuratissimam consulat dialecticam Sylvestris Mauri.

ARTICULUS QUARTUS

De caeteris argumentandi generibus.

25. Integra ac simplicissima ratiocinii expressio, ut diximus, est syllogismus, quippe qui tria refert iudicia, quot revera ratiocinatio coalescit. Argumentationes vero caeterae aut ab integritate aut a simplicitate desciscunt, utpote cum aut iudicium aliquod reticeant, aut plura exprimant, quam una ratiocinatio complectatur, aut completum ratiocinium subaudiant. Potissimum recensentur: *Enthymema*, *Sorites*, *Epicherema*, *Polysyllogismus*, *Dilemma*, *Inductio*. De singulis pauca.

Enthymema, argumentatio est duabus propositionibus coalescens, quarum una infertur ex alia, ut si dicas: *Animus humanus est spiritualis*; *Ergo est immortalis*. Iisdem legibus ac syllogismus gaudet, quia reapse syllogismus quidam est detruncatus, seu cuius una praemissa reticetur, quaeque etsi ore non exprimatur, mente tamen revera profertur. Nequit enim mens conclusionem inferre, quin celerrime praemissas, unde illa sequi debet contueatur.

Sorites, seu *acervalis*, ut a Tullio nominatur (3), argumentatio est pluribus propositionibus ita constans, ut semper praedicatum praecedentis fiat subiectum sequentis donec formetur conclusio, in qua subiectum primae cum praedicato ultimae copulatur. Exemplum sit: *homo est animal*; *animal est vivens*; *vivens est substantia*. *Ergo homo est substantia*. Huius argumentationis infrequentior est u-

(1) Phil Ration. p. 1. sec. 4. c. 2.
(2) Lezioni di Log. e Met. vol. 2. Lez. 49. 50. 51. 52.
(3) De Divin. l. 2. c. 4.

sus ; quippe propter nimiam propositionum congeriem mentem impedit ne dilucide vim perspiciat illationis. At hoc argumentandi genere, quod Tullius rei dialecticae apprime peritus captiosissimum appellat (1), ratus est Tracyus simplicissimam omnium germanamque ratiocinii expressionem contineri. Verum errorem ipsius perspicies facile, si cogitaveris soritem nil esse aliud, nisi acervum syllogismorum, ita tamen, ut horum aliquae praemissae, et intermediae omnes illationes omittantur. Ut autem vitium omne in huiusmodi argumentandi genere declinetur, caveas primo ne praedicatum propositionis praeviae, dum subiectum insequentis evadit, aliquantulum immutetur. Deinde ne aliqua propositio falsa, vel ambigua intermisceatur. Denique ne solis negativis enunciationibus constet : tunc enim in syllogismos resolvendus foret ex meris negativis coalescentes ex quibus, ut dictum est sup a, nihil sequitur. Quod si difficilior ad iudicandum aliquando sorites occurrerit, ipsum in syllogismos quos mutilat et convolvit evolve, atque ita indubie et facile vitiosus ne sit, an secus, intueberis.

Epicherema est syllogismus, cuius vel alterutri vel utrique praemissae probatio adiungitur. Exemplum hoc habe : *quodlibet ens spirituale est incorruptibile prorsus ; nam partibus caret, et a materia non pendet. Atqui anima humana est spiritualis; siquidem est intelligens. Ergo anima humana est incorruptibilis prorsus.* Ut vides, iisdem legibus, ac simplex syllogismus, regi debet.

Polysyllogismus est argumentatio, in qua uni completo syllogismo alter ita subnectitur, ut conclusio praecedentis fiat praemissa sequentis. Exemplo sit· *Quod est immutabile prorsus caret principio et fine; Sed Deus est omnino immutabilis*; *Ergo Deus caret principio ac fine: Sed quod ita se habet est aeternum*; *Ergo Deus est aeternus.* Ut patet, aliud revera non est, quam multiplex syllogismus, atque adeo iisdem gaudet, ac ille, legibus.

Dilemma, quod revera ad syllogismum disiunctivum reduci potest, est argumentatio ita bifariam distributa, ut utraque eius pars assumatur atque ad concludendum adhibeatur. Cuiusmodi est illud Tertulliani in Apologetico : *vel nocentes sunt Christiani, vel innocentes. Si nocentes cur inquiri prohibes? si innocentes, cur delatis poenam irrogas?* Ad eius rectitudinem duo cavenda sunt. Primum, ne inter distributionis partes detur tertium, ut ex: gr: in dilemmate Socratis morituri sic aientis: *aut in morte sensus omnis adimitur, ut in somno; aut anima ad feliciora loca migrat. Si primum suaviter quiescam; si alterum, felicius vivam cum Orpheo Ulisse caeterisque praeclaris viris. Ergo mori expedit.* Nil concludit dilemma istuc; quippe cum tertium adsit, nempe ad aeternam miseriam demigratio. Deinde videatur ne retorqueri possit contra ipsum arguentem. Sic accidit in illius dilemmate, qui alteri persuadere conabatur, ut ne rempublicam administrandam susciperet, ita ratiocinatus : *vel male, vel bene administrabis. Si*

(1) Acad. 4. c. 16.

primum, Diis displicebis; sin alterum, hominibus. Ergo hoc munus suscipere non expedit. Quod audiens in ipsum sic retorsit : *vel bene vel male, ut dicis administrabo. Si primum, placebo Diis, sin alterum hominibus. Utroque igitur eventu id muneris expedit.*

Denique *Inductio* ea dicitur argumentatio, qua enumeratione singularium universale aliquid infertur ; ut si eo quod singuli lapides deorsum ferantur, id de omnibus affirmandum inferas. Hoc argumentationis genere nituntur axiomata physica, quae per experientiam colliguntur. Advertendum tamen est inductionem aliam esse *completam*, aliam *incompletam*. Illa est quae individua singula recenset, ut cum quis planetas omnes lucem a sole mutuari inferat, propterea quod, observatione instituta, de singulis id compererit. Quod ubi acciderit, inductio implicitum habet Syllogismum sic ex. gr. instructum : Mercurius, Venus, Tullus, Mars, Iupiter, Saturnus, Herschel, aliique quatuor recentius comperti planetae lucem a sole recipiunt. Atqui his planetae omnes primarii continentur. Ergo planetae omnes primarii lucem a sole recipiunt. Plenam, ut vides, haec suppeditat certitudinem; immediate enim nititur evidentissimo axiomate : impossibile est idem simul esse et non esse. *Incompleta* vero est cum singula individua non numerentur ; quae omnia periclitari interdum ἀδύνατον. Hoc ubi contingit sedulo cavendum est ne vitium inde irrepat, quod sufficienti observatione ac singularium enumeratione posthabita, ad generale axioma condendum temere fiat gradus. Quare tot examinari singularia debent, quot sufficiant ad ostendendum praedicatum individuis illis non fortuito aut peculiari ratione competere, sed vi naturae omnibus insitae aut legum generalium. Cum huc ventum erit, inductio vim inferendi habet hoc nixa syllogismo : *Quoties constanti observatione compertum est attributum aliquod ita pluribus convenire singularibus, ut a rei natura vel legibus universalibus repetendum sit, convenire etiam debet iis de quibus nondum instituta experientia est. Atqui ita se res habet in praesenti; Ergo etc.* Etsi enim quod singularibus inest, non idem continuo commune : tamen quod commune convincitur, idem singularibus omnibus inesse oportet. At vero illud scite advertendum est non posse semper facile et indubitanter tale de singularibus experimentum sumi, quod animo convincat attributum vi naturae caeteris etiam communis, aut ex legibus, quibus individua omnia illius generis sint obnoxia, convenire. Quapropter in inductione, *si incompleta est*, plerunque non certitudo indubia, sed probabilitas tantum maior aut minor pro rei conditionibus, revera progignitur. Ex quo intelligitur quanto scientiarum detrimento Syllogismo proscripto, inductio tanquam dux unice suaderetur. Haec enim, ut proxime dictum est, tunc certitudinem revera praestat cum aut syllogismo aequivalet, quemadmodum accidit de *inductione completa*, aut syllogismo nititur evidenti et indubio, quemadmodum de *incompleta* explicavimus.

Ad inductionem revocari potest argumentatio ex analogia vel paritate, cum nimirum aut simile ex simili infertur (quod pertinet

ad paritatem); aut ex paucis observatis ad nondum observata fit gradus, quae etsi non perfectam, aliquam tamen cum illis servant similitudinem; idque ad analogiam spectat. Eiusmodi etiam argumentatio syllogismo nititur cuius praemissam hoc agit principium: *Ubi eadem aut consimilis ratio militat, idem iudicium ferendum est quoad id, in quo paritas aut similitudo viget.* A quo argumentandi genere ut error arceatur, sedulo considerandum est utrum inter ea, pro quibus instituitur, vera similitudo ac eadem ratio vigeat necne, et talis quae ad idem *attributum* eruendum sufficiat. Quod quia difficile eventu est, idcirco sola probabilitas hac ratiocinatione plerumque suppeditatur.

PARS ALTERA

SEU

LOGICA SPECIALIS

Prologus.

Asseruit Kantius (1) ad Logicam non pertinere nisi generales, quibus mens in cogitando dirigitur, regulas investigare, vituperavitque eos, qui de variis cognoscendi viribus aut certitudinis formis pro rerum obiectarum diversitate, aut horum consimiles locos adiungerent. Quod ubi fieret, sola *dialectica* disciplina haec contineretur. At ipse idem alibi (2) Logica in universalem, regulas cogitandi absolute necessarias complectentem, et veluti particularem, artibus προπαιδευτικὴν distributa, illam mox in puram et applicatam partitur denuo, atque superiorem quidem in sola cogitandi forma versari, tanquam καταρκτικὸν communis intelligentiae, posterioris vero de attentione animi, de ortu erroris, de persuasione ac haesitatione mentis, aliisque id genus disserere proprium esse contendit. Haec quinam consentiant inter se haud cernitur satis, et studiosius aliquanto fortassis anquireremus; nisi notum esset, Kantium a rebus mutuo pugnantibus statuendis terreri parum. Ceterum quidquid de ipsius sit sententia, perspectum abunde ratumque ducimus (quod etiam alias (3) innuimus) Logicae muneris esse non formulas modo, queis in cognoscendo absolute tenemur, aperire; sed eorum etiam, quae veri fontes, et motiva, statusque animi ad scientiam nitentis, et si quae alia ad hanc rem pertinent, consentaneam notitiam suppeditare: ut nihil plane ad huius disciplinae consequendum finem desideretur. Atque hoc non recentiores modo universim, sed veteres etiam pro temporum opportunitate factitarunt: ita ut Aristoteles ipse in legibus rationis *logice* detegendis, non pauca, quae de ignorantia, de scientia, de certitudine, de errorum causis agerent identidem inseruerit (4). Scite igitur prudenterque postquam spinosiora illa quae *dialecticae* sunt, accurate sa-

(1) Critica Rationis Purae Praefat. postor.
(2) Artis Element. Par 2. Log. Transcend. Instit. 1.
(3) Vid. Dialecticae prolegom.
(4) Consule eius de interpretatione, elenchorum, et topicorum libros.

tis, ut arbitror, persequuti sumus; hanc alteram Logicae partem subnectimus, quae superiorem veluti perficiat absolvatque.

Qua quidem in re duo vitia vitanda sunt: unum, ne temere in methaphysicam segetem Logica falcem iniiciat, utriusque disciplinae terminis male permixtis; alterum, ne omittantur ea quae huius facultatis maxime sint propria. Id itaque reputantes totam huius loci quaestionem sic partimur, ut primum de veritate, quantum Logicorum interest, variisque quoad ipsam humanae mentis statibus; deinde de mediis, quae ad rerum notitiam suppeditant; tum de indiciis diiudicandae veritatis, ac unde philosopho exordiendum sit, disputemus. Quibus in rebus ad dialecticam conformata philosophandi ratione potissimum utemur; detestabilis enim errorum lues, quae hodie scientias non parum inficit, eo fonte praesertim derivata videtur; quod severum hunc philosophandi morem perosi, ad amoeniorem quandam, at certe minus tutam, Academicam disserendi formam sapientes deflexerint.

CAPUT PRIMUM

DE VERITATE, MENTISQUE HUMANAE QUOAD ILLAM STATIBUS.

Ut dilucida ac ordinata sit disceptatio, nec tamen longior, quam par est; quatuor illam articulis complectemur. Principio, veri notionem, mentisque ad verum nitentis status definiemus; deinde de his separatim quae scitu necessaria sunt explicabimus. Ita sensim ad graviora exploranda fiet aditus.

ARTICULUS PRIMUS

Quid veri notio, et quotuplex mentis circa ipsum status?

26. *Veritatem*, ut experientia cuique est testis, non modo *conceptibus* sed etiam *signis*, quibus illi extrinsecus exprimuntur, imo *obiectis* ipsis tribuere consuemus. Sic verum sermonem, veras res, veras ideas nominamus. Hinc profecta divisio est, qua veritas triplex a philosophis decernitur: *Logica*, *Moralis*, *Metaphysica* (1). Logica conceptus afficit, poniturque in convenientia idearum nostrarum cum obiectis; quae enim cogitatio obiecto consonat, ea nobis vera habetur et dicitur; quae contra obiecto dissidet, falsa nuncupatur. Sic, ut exemplo rem illustremus, cum quis solem cogitat ut corpus inmani praeditum magnitudine, cognitioni inest veritas; quippe quemadmodum cognoscitur, ita est obiectum: contra cognitio falsitatis arguitur, si cum Epicureis sol cogitaretur esse pedalis. Unde sapienter D. August. hanc definiens, *veritas* inquit (2) *est qua ostenditur id quod est.* Metaphysica veritas sita est in complexu eorum, quae ad naturalem rei constitutionem pertinent; cum enim aliquid ex. gr. verum aurum esse dicimus, nihil aliud innuere volumus, nisi rem illam iis constare notis, quae ad auri naturam constituendam spectant. Ac quoniam veritas cognitioni potissimum tribuitur, et res in tantum eiusmodi induunt notionem, in quantum ad mentis notitiam aliqua ratione referuntur; veritas metaphysica difiniri poterit: conformitas rei cum notis ipsam constituentibus, quatenus haec vel actu cognoscitur vel saltem cogno-

(1) Haec recentiorum partitio congruit adamussim cum veteribus, qui veritatem trifariam partiebantur: *in essendo*, ut aiebant, *in significando*, *in cognoscendo*. Primam rebus inesse asserebant, alteram signis, tertiam cognitioni. Confer, si lubet, Suarium Metaphysicae t. 1. initio disputationis octavae.

(2) Lib: De vera Relig. c. 36.

sci potest. Res enim quaevis ideo quae sui sunt propria complectitur, quia ideis Dei archetypis conformatur. Quoad nos vero ideo cum notis, unde constitui debet, convenire percipitur, quia notioni respondet, quam primitus contemplatione naturae de re illa conflavimus. Sic cum tibi obiicitur metallum aliquod, quod contuens verum id esse aurum affirmas, si tuum ipsum conceptum interpretari velis, perspicies certe te haec fando innuere voluisse metallum illud propriis auri characteribus coalescere, atque id in tantum respectu tui, in quantum respondet notioni, quae notas complectitur eas, quibus constare expertus es metallum quod aurum nuncupasti. At de hoc alibi fortasse uberius. Demum moralis veritas in concordia sermonis vel signorum cum sententiis animi collocatur. Illum enim *veridicum* appellamus, qui quod mente concepit, verbis exprimit; qui contra, mendacem nominamus. Est ergo *mendacium* verbum vel signum ideae loquentis absimile. Ex quibus elucet veritatem semper in aliqua convenientia reponi, semperque ordinem quendam ad mentem involvere, atque ideo sapienter a D. Thoma generatim descriptam esse (1) per adaequationem rei et intellectus. Definiri etiam potest cum Augustino (2) *verum universim esse id quod est* (intellige in quantum est). Ex qua generali definitione, si deinceps *conceptibus*, *sermoni*, *rebus* applicetur, facile erit in nostras devenire. Nam *voces*, *quatenus eiusmodi*, conceptus exprimunt; iis proinde debent esse consimiles. *Res na-*

(1) Quaest. 1. de Ver. a. 10. Sapientiae etiam plena sunt ea, quae idem S. Doctor tradit de hac re (1. Periher. lec. 3.) inquiens » Verum . . . . est bonum intellectus. Unde de quocunque dicatur verum, oportet quod hoc sit per respectum ad intellectum. Comparantur autem ad intellectum voces quidem sicut signa, res autem sicut ea quorum intellectus sunt similitudines. Considerandum autem quod aliqua res comparatur ad intellectum dupliciter, uno modo sicut mensura ad mensuratum, et sic comparantur res naturales ad intellectum speculativum humanum. Et ideo intellectus dicitur verus secundum quod conformatur rei; falsus autem secundum quod discordat a re. Res autem naturalis non dicitur esse vera per comparationem ad intellectum nostrum . . . secundum hoc enim sequeretur quod contradictoria essent simul vera, quia contraditoria cadunt sub diversorum opinionibus. Dicuntur tamen res aliquae verae vel falsae per comparationem ad intellectum nostrum non essentialiter vel formaliter, sed effective, in quantum scilicet natae sunt facere de se veram vel falsam aestimationem, et secundum hoc dicitur aurum verum vel falsum. Alio autem modo res comparantur ad intellectum sicut mensuratum ad mensuram, ut patet in intellectu practico qui est causa rerum. Unde opus artificis dicitur esse verum in quantum attingit ad rationem artis; falsum vero in quantum deficit a ratione artis. Et quia omnia etiam naturalia comparantur ad intellectum divinum sicut artificiata ad artem, consequens est ut quaelibet res dicatur esse vera, secundum quod habet propriam formam, secundum quam imitatur artem divinam. Nam falsum aurum est verum orichalcum. Et hoc modo ens et verum convertuntur quia quaelibet res naturalis per suam formam arti divinae comparatur etc:

(2) Soliloquiorum. l. 2. c. 5.

turae, *in quantum tales*, propriis constant constituentibus, perque ea divinis ideis congruunt, et ad consentaneam sui notitiam in nobis gignendam sunt idoneae. *Cognitionem*, *ut talis est*, obiectum circa quod versatur (nam nequit circa aliquod non versari) referre oportet, ab eoque idcirco non dissidere. Merito igitur *voces*, *res*, *ideae*, quatenus sunt, verae sunt; dicique sapienter potest: verum esse id quod est, prout est. Ex quo existit, ut verba (quippe quae ab arbitrio proferentis pendeant) et cogitationes humanae nonnullae (utpote fallibiles) falsitate turpari queant; res contra cum necessario divinas ideas imitentur, nunquam proprie et respectu divinae mentis falsae sint; sed quoad nos eo sensu dumtaxat falsae aliquando dicantur eae, quae etsi per se veram sui notitiam gignere aptae sint, tamen ob ea quae circumstant ac propter imprudentiam cogitantis difformem sui notionem ingenerent.

27. Reliquis duabus praetermissis, quarum nostra vix interest, Logica tantum veritas accuratius postulat disputari. Haec itaque, ut diximus, *consensus est* seu *conformitas idearum cum obiectis*; ac proinde *in concreto* spectata aliud quidquam non est, quam *cognitio suo obiecto conformis*. Huc itaque philosophi labor omnis atque cautio contendat oportet, ut rerum notitiae, quas anquirit, rebus rite consentiant, idque sonat assequendae veritatis studium. Neque tamen putandum est difinitione nostra requiri semper obiectum quod extra mentem sit, et adveniat extrinsecus, ut inter ipsum et mentem intercedat similitudo. Nam cum mens in semet *reflexione* redire possit, suosque motus attingere; habebitur plane concordia mentis cum obiecto etiam cum cognitio in ipsis animi affectionibus cogitandis versatur. Haec quidem certa rataque videntur ac eiusmodi ut facile a quopiam intelligantur. Illa tamen subtilior quaestio, sed neutiquam praetermittenda, utrum veritas simplicem etiam apprehensionem, an iudicium dumtaxat afficiat; quae tanti momenti est, ut non leviter mirer eam passim a philosophis negligi. Ut hanc igitur breviter resolvamus, principio dicimus veritatem (idem transfer ad ei contrariam falsitatem) praecipue et plene iudicio inesse tantum. Animus enim dum intelligit sibi quodammodo loquitur, conceptusque mentis iure *verbum* nuncupatur. Atqui eloquium, nisi duo elementa affirmando coniungat per voculam *est*, aut negando separet voce *non est*, nec falsitatem proprie nec veritatem continet. Quod perspicue patet in sermone, qui donec terminis solum constet, et propositionem nullam efficiat, nec verus nec falsus dici potest. Age nunc, cogitationis duo elementa nonnisi per iudicium queunt affirmatione coniungi, aut negatione separari, nec nisi vocula *est* aut *non est* animi exprimit iudicium. Ergo in hoc dumtaxat veritas explete cumulateque reperitur. Et sane si logica veritas affectio quaedam est cognitionis, poniturque in similitudine quadam mentis cum obiecto; in ea operatione proprie insit oportet, quae completa sit cogitatio, quaque mens plene fiat obiecto consimilis. At vero istiusmodi partes nonnisi iudicium sibi vindicat; ad quod simplex apprehensio ut eius inchoatio ac elementum

diri igitur, et per quod obiectum *positive* et affirmate cognoscitur quemadmodum est, nimirum ut alteri repugnans vel consentiens; ut alteri inhaerens vel separatum; ut possibile vel existens, aut alia quacumque fixum determinatione, qua rem quamlibet affici necesse est. Tamen, etsi non plene, ratione aliqua certe veluti manca et inchoata simplici etiam apprehensioni veritas inest. Primum quia, cum haec perceptio quaedam sit, quae proinde circa obiectum aliquod necessario versari debeat (repugnat enim cogitatio, qua non aliquid percipiatur); similitudine aliqua obiecti fruatur oportet, quicum idcirco revera consentit. Quoad obiectum igitur, non quod referri velit, sed quod reapse refertur, apprehensio etiam simplex veritatem habet. Imo, ut sapienter perspexit D. Thomas, ab eiusmodi incompleta veritate deficere minime potest, necesse enim est omnino ut aliquid repraesentet. Deinde, quia mens etiam cum obiectum apprehendit tantum, ita in eo cogitando sistit, ut cum aliis non confundat, sed ea dumtaxat quae ipsi insint contempletur: propterea hac ratione etiam simplici apprehensioni imperfecta tribui veritas potest. Mens enim iam tum obiecto occipit conformari, atque ideo rationem induere veritatis.

28. Hisce explanatis elucere etiam potest quid de sensibus quoad veritatem dicendum sit. Hi enim cum iudicium vere non habeant, sed simplicem potius aequiparent apprehensionem: veritatis vel falsitatis subiectum proprie esse non possunt. Dicuntur tamen latiori interpretatione falsam aut veram habere perceptionem, quatenus exinde mens ad falsum vel verum iudicium proferendum occasionem sumit; et quatenus, cum proprietates corporum concretas spectent, cognitionem suam composito ipso veluti terminant. Quare etsi non iudicando, exercitio tamen sui actus proprietates, quas attingunt, in tali potius, quam alio, subiecto inesse referunt; quod imitationem quandam et veluti umbram iudicii videtur amplecti. Atque haec de veritate quoad Logicam attinet.

29. Venio nunc ad varios definiendos *status* in quibus mens respectu veritatis capessendae versari potest. Mens enim cum ad obiectum quodpiam comparatur, illud aut ratione aliqua attingit, aut nulla. Quae non attingit, ea ignorare dicitur. Quorum autem non ignoratione tenetur, ea aut ita detegit, ut assensum omnino quiescendo praestet omnique errandi timore seposito; aut assentitur quidem at non plene propterea quod oppositum probabile etiam appareat; aut denique nulli assensum parti praestat, sed haeret anceps; atque horum si primum accidit, mens dicitur esse *certa*: si secundum, opinari: si tertium, ambigere. Status itaque mentis quatuor recenseri debent: *ignorantia, dubium opinio, certitudo.* Quos ut definias, *ignorantiam* dices: statum mentis, in quo nullum iudicium aut idea rei habetur: et esse potest vel universalis, si circa omnia versetur, ut in infantibus: vel particularis magis minusve extensa, si veritates aliquae pauciores pluresve nesciantur, ut in ceteris hominibus, et in creata quavis intelligentia. *Status* vero *dubii* is audiet, per quem mens lancis instar

aequis ponderibus utrinque libratae, obiecto neque assensum praestat, neque inhibet. Et quidem si id erit, eo quod ex neutra parte ratio, a qua mens moveatur, apparet, dubium erit negativum; sin quia ex utraque ratio aliqua intellectum in suam partem inclinans se prodit, dubium erit positivum. *Opinionis status*, qui medius est inter *dubium* et *certitudinem*, is nuncupabitur, in quo mens obiecto assensum quidem adhibet, at non sine formidine oppositi, ac haesitatione. Hic status dici etiam solet probabilitatis; sed Genuensi assentior, qui probabilitatis nomine pondus momentorum, quibus ad assensum non certum impellimur, donandum censet; assensum vero hunc ipsum opinionis vocabulo significari. Denique *certitudinis status* ille erit, in quo animus obiecto firmiter adhaeret sine ulla dubitatione, aut oppositi sollicitudine. Porro cum istec adhaesio constare possit iudiciis obiecto aut conformibus aut difformibus; efficitur hinc ut certitudinis status (quod aeque de opinione intelligendum est) cum veritate aut falsitate societur. Ex quo etiam patet certitudinem a veritate distingui, ac posse utramque vicissim separari. Idem tamen non est de evidentia, quae in obiectis naturali lumine cognitis certitudinem semper comitatur; quae quoniam una cum certitudine accuratius eget disputari, de utraque in peculiari articulo disseramus.

ARTICULUS SECUNDUS.

De certitudine, ac evidentia.

30. Scopus mentis nostrae in veritatem conantis is est, ut rerum certam evidentemque notitiam assequatur. Age iam *certitudo* in quadam immobilitate sita est: et quoniam non solum *assensus*, sed *obiectum* etiam illum extorquens certum dicitur, iure dividi solet in *obiectivam*, et *subiectivam*, seu *formalem*, vel, ut aliis placet, *adhaesionis*. Certitudo *obiectiva* est infallibilitas motivi exigentis assensum sine haesitatione mentis, aut formidine oppositi. Sic libertas humana, animi simplicitas, sexcentaque alia, per se inspecta, certa dicuntur. *Subiectiva* vero est firmitas ipsa assensus obiecto adhaerentis sine dubitatione propter motivi infallibilitatem. Sic iudicium, quo mens ita obiecto adhaeret, ut simul existimet illud aliter esse non posse, certum dices. Utraque haec denuo partienda est in *metaphysicam*, *physicam*, et *moralem*. Nam sive firmitas adhaesionis, sive stabilitas motivi ad assensum trahentis fundari potest vel in ipsa rei essentia, nexuque praedicatum inter subiectumque propositionis cuiuspiam necessario intercedente, qui ne per divinam quidem potentiam demi possit; vel constantibus naturae legibus propriaque nititur experientia, ita tamen ut eius oppositum a Deo praeter ordinem operante fieri queat; vel denique suum fundamentum habet in hominum testimonio, ac legibus quibus humani mores temperantur, quae tamen non ita necessarium nexum cum veritate illius testimonii habent, ut eius opposi-

tum in omni hypothesi contradictorium per se sit. Horum si primum contingat, certitudo erit *metaphysica*, ut respectu harum veritatum: *totum quavis sua parte maius est; non datur effectus sine causa* etc: sin alterum, erit *physica;* ut quoad has propositiones: *existunt corpora; ignis stipulae admotus illam comburet*; si denique tertium, erit *moralis;* ut in his iudiciis: *Caesar extitit; Alexander Persas debellavit.*

Evidentia pariter in *obiectivam* tribuitur et *subiectivam*. Nam motivum infallibile quadam veluti luce in se collustratur, ac quadam capacitate pollet apparendi intellectui nostro si eidem obiiciatur. Haec lux obiectum afficiens, seu etiam haec capacitas apparendi evidentia obiectiva iure dicetur. Quod si obiectum certum, ac evidens menti proponatur, in ipsa mente quoddam lumen exurgit perceptionem ipsam perfundens, ac vivida quaedam et clara obiecti repraesentatio. Hoc igitur lumen, hanc apparentiam, quae mentem afficit evidentiam subiectivam, seu formolam appello. Cum vero evidentia sine certitudine adesse nequeat, sitque illius quasi affectio, iuxta eiusdem diversitatem ipsa quoque dispescitur in *Metaphysicam, Physicam*, et *Moralem*. Demum tum certitudo tum evidentia in *immediatam* et *mediatam* dividi potest. Immediate certa et evidentia dicuntur, quae animus sine demonstratione statim ac proponuntur, perspicit. Huiusmodi sunt tum ea quae conscientia per se testatur, ut nunc cogito, existo, dolore afficior, hisque similia; tum quae sensus referunt, ut corpora sunt gravia, dies est, sydera collucent; tum denique quae complectimur intelligentia, ut nequit idem simul esse et non esse; quae sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se; ceteraque prima, quotquot extant, principia. Mediate autem certum vel evidens dicetur, cuius veritas non simul ac animo obiiciatur patet, sed ratiocinatione indiget debetque ex aliunde notis demonstrari. Huiusmodi sunt animi nostri immortalitas, Dei existentia, aliaque longe plura.

31. Quaeret fortasse quispiam utrum certitudo una alteri praestet, an omnia iudicia eodem firmitatis gradu potiantur. Qua in re existimavit Filangierius (1) certitudinis nullam esse absolutam et intrinsecam diversitatem, sed relativam duntaxat ad existimationem mentium diversarum; ita ut aequalitas ex: gr: quadrati hypotenusae cum quadratis catethorum certior in se non sit, quam Caesaris in Gallos victoriae, sed primum Geometrae, alterum philologo sit certius. Verum haec minuenda opinio est. Etsi enim effici quandoque possit ut pro dispositione animorum et mentis exercitatione certitudo varietur, negari tamen nequit quin diversitas aliqua absoluta certitudinis ex ipsa obiectorum natura ac varia intelligentiae perfectione sit desumenda. Sic nemo, nisi prorsus insanierit, se eandem, ac Deus habet, rerum certitudinem possidere opinabitur: quod etsi imprudenter Genuensis in metaphysica

(1) Scienza della Legislazione t. 3. c. 13.

asseruerit, mox tamen in Logica retractavit (1). Sic etiam nos firmiorem assensum veritati metaphysice certae adhibemus, quam iis quae physica tantum aut morali certitudine sunt instructae. Quod ne intelligas velim de exclusione dubii, quae, cum individua sit ac in mera negatione posita, gradus non habet; sed de actus obiecto adhaerentis positiva perfectione, ipsaque vi motivi impellentis ad assensum debet intelligi. Quod sapienter animadvertit Suarius (2) his verbis » Licet certitudo per privationem explicetur, quam significat infallibilitas: nihilominus non consistit formaliter in privatione sed in positiva perfectione, quae potest esse maior et minor iuxta excellentiam actus et causarum eius; sicut substantia immaterialis magis vel minus perfecta quoad spiritualitatem esse potest; licet privatio materiae, quae nomine immaterialis substantiae significatur, in omnibus aequalis esse videatur » Et sane, ut exemplis rem veluti ob oculos statuamus, sumantur tria iudicia, quorum primum certitudine metaphysica, alterum physica, tertium morali constet. Sint igitur haec: *totum quamlibet excedit partem; magnes attrahit ferrum; Scipio subegit Afros*. Ut quisque optime perspicit, harum propositionum prima nititur identitate aut connexione necessaria, quae praedicatum inter et subiectum viget; nequit enim conceptus unius sine contradictione a conceptu alterius separari. Quare eius oppositum ita repugnat, ut ne a Deo quidem, qui contradictoria non facit, nec rerum essentias mutat, fieri possit. Secunda propositio institutae experientiae et constantiae legum naturalium fidit, quae tantae necessitatis non sunt, ut contrarium omnino repugnet; proinde a Deo sic volente inverti possunt eventuque frustrari. Tertia demum historicorum fulcitur testimonio, et stabilitate legum moralium, quarum applicatio ad peculiare illud testimonium constantiam legum physicarum supponit, et ordinem ad libertatem includit. Quod etsi, ut suo loco dicetur, rei certitudinem non demat, minus tamen arctum reddit nexum inter attributum subiectumque propositionis vigentem, efficitque ut obiectum absoluta non gaudeat necessitate. Quae cum ita sint, nemo est qui non videat tres enumeratas certitudinis species eiusmodi esse, ut non modo differant inter se, verum etiam una aliis sit praestantior; seu ut ex explanatis patet, moralis physicae cedat, utraque autem metaphysicae.

32. At idemne dicendum erit si certitudo supernaturalis Fidei cum quavis naturali certitudine conferatur? Ex iis, quae nuper exposui, responsum patet. Nam Dei testimonium, qua Fides innititur, non modo metaphysicam parit certitudinem (metaphysice quippe repugnat Deum utpote perfectissimum falli posse aut fallere); verum etiam longe stabilius assentiendi motivum, perfectiusque lumen ad veritates, quas revelat credendas, menti sufficit. Quare si certitudo eo maior est, quo lumen intellectui nobilius affulserit, motivumque adhaerendi magis firmum atque a fal-

(1) Artis Logico-crit. l. 3. c. 1. §. 12.
(2) Tractatu de Fide disp: 6. sec: 5. §. 8.

sitate plus alienum ad assensum trahat, quisque perspicit certitudinem Fidei divinae qualibet naturali certitudine maiorem esse. Et sane divina auctoritas, qua ad credendum impellimur, magis est errandi nescia, quam quaelibet metaphysica evidentia rationis; lumenque Fidei quo mens illustratur quamlibet naturalem intelligentiae lucem superat. Ad rem iam laudatus Suarius (1) postquam asseruit Fidem divinam certitudine naturali, quaecumque haec sit, longe superiorem esse, sic prosequitur » Ratio autem propria sumitur ex altioribus causis, quibus nititur certitudo Fidei: fundatur enim in prima Veritate, quam fallere vel falli impossibilius est, quam naturalem scientiam hominis errare. Item pendet certitudo Fidei ex lumine infuso, et divino, quod longe excellentius, est quam lumen naturale intellectus: huiusmodi ergo lumen etiam confert excellentiorem certitudinem. . . . Denique quatenus Fides pendet ex voluntate, ut iam dicam, nititur in speciali motione Spiritus S., quae efficax est ad praestandam excellentiorem certitudinem. Unde etiam fit, ut certitudo Fidei non admittat deliberatam dubitationem in intellectu, etiamsi mille argumenta occurrant, quibus homo satisfacere nesciat, nisi ad Fidem confugiendo; quod est etiam apertum signum maioris certitudinis »

33. Denique quaeri posset utrum certitudo ab evidentia separetur aliquando, seu utrum aliquid possit nobis certun haberi, quin tamen idem sit evidens. Qua in re distinctione est opus. Nam aut sermo est de obiectis, quae humanum captum non excedunt, et quibus vi naturalis luminis assensum praestamus, et quoad haec fieri nequit, ut evidentia a certitudine seiungatur. Nulla enim est causa cur obiectum eiusmodi, si proponatur, evidenter apparere non debeat, cum et in se evidentiam habeat, et mentis nostrae viribus sit consentaneum, et menti nonnisi per aliquam evidentiam applicetur. Sin autem sermo erit de obiecto quod nostram intelligentiam superet, vel etsi non superet, fide tamen divina credendum sit: certe tunc certitudo ab evidentia optime separari potest. Nam cum Deus ad affectum aliquem producendum naturalibus mediis non indigeat, applicare optime potest motivum indubitate movens ad assensum, quin ipsum evidenter proponat; atque ita assensum certum atque firmissimum a mentibus nostris elicere potis est, quin evidens apparentia obiecti ad id rei nos adigat, sed simplex certitudo, cui cum nequeat subesse falsum firmissime assentiamur. Sic accidit in assensu supernaturali Fidei, quem veritatibus revelatis adhibemus, quemadmodum Theologi fuse explicant.

34. At enim contra diversos gradus certitudinis, quos statuimus, sic forte obiicies: Certitudo quaevis sita est in indivisibili, nempe in mera dubitationis carentia. Atqui quae sunt eiusmodi, gradus nullos includunt, atque ideo unum ab alio excedi aliudve excedere non potest. Ergo certitudo in qualibet veritate est consimilis, nec una altera praestantior dari potest.

(1) Loco cit. §. 11.

Respondeo: *Dist. Maior.* Certitudo quaevis sita est in indivisibili seu in mera dubitationis carentia, quoad partem veluti negativam, et exclusionem defectus *conc.*; quoad perfectionem positivam ex qua illa emergit privatio, *nego*. *Dist.* pariter *min*. quod est eiusmodi, idest si quoad omnem sui partem in mera negatione ponatur, gradus non habet, *conc.*; secus, *nego*. Certitudinis diversitatem ac unius prae altera praestantiam non in dubii vacuitate, sed in positiva perfectione adhaesionis, ac varietate motivi trahentis ad assensum reposuimus. Idque cum explanatum sit satis, ut arbitror diligenter; hic fusius explicare supervacaneum iudico.

Instabis. Saltem certitudo Fidei certitudini naturali non praestat, sed concedit potius. Nam haec talis est ut invitos etiam ad assentiendum adigat: illa vero nequaquam, sed non nisi volentes inducit.

Respond. *Nego instantiam.* Ad probationem *Dist.* haec invitos adigit ratione maioris excellentiae qua gaudeat, *nego*; ratione evidentiae quam habet adnexam *conc.* Cum mens facultas sit necessaria, a vero evidenter proposito assensum cohibere suum nequit; idque si faceret, iam a sui natura descisceret. Contra, ubi evidentia deerit, medium desideratur, quod ordine naturae idoneum est ad intellectus extorquendam adhaesionem. Ex quo efficitur, ut veritas naturalis menti evidenter apparens illam adigat; non ita similiter veritas supernaturalis, quae Dei obscure revelantis testimonio fulciatur. At hinc aliud infertur nihil, nisi priorem assensum esse necessarium, utpote evidentem; alterum vero liberum, utpote evidentia orbatum. Nos autem certitudinis Fidei prae naturali excessum non ex evidentia et necessitate assensus, sed ex nobilitate luminis supernaturalis, quo mens instruitur, atque excellentia motivi desumpsimus, quae certe affatim praestantiora esse in Fide nemo, nisi amens, inficiabitur.

Instabis II. Atqui libertas assensus in certitudine Fidei ex debilitate *motivi* oriri debet, non vero ex evidentiae defectu. Ac probatur: nam etiam ad assensum veritatibus supernaturalibus praestandum adducimur tum revelatione divina, quam factam esse multo argumentorum genere evidenter coniicimus, tum auctoritate Dei revelantis, quem mentiri non posse aut decipi metaphysica patet evidentia.

Respondeo. *Nego* novam instantiam, et probationem *dist.* ad assensum veritatibus supernaturalibus praestandum adducimur etc. si sermo est de assensu naturali, qui praevius dicitur, *conc.* si de ipso supernaturali assensu Fidei, *nego*. Cum obiectis a Deo revelatis assentimur, duplex assensus considerandus est: ille, qui e natura procedit et motiva credendi sectatur rationis calculo ponderata; alter, qui ex instinctu Spiritus S. consequitur, et divina auctoritate ac revelatione, quae non indagine humana atque ratiocinatione, sed Dei impulsu interius operante credatur, innititur. Porro hic, non ille assensum Fidei, de quo loquimur, constituit, qui reapse omni evidentia privatur: quamquam prior, utpote mi-

raculorum ex. gr. quae ad Revelationem testandam peracta sint, consideratione, aut eventuum futurorum vaticiniis, aut aliis qui busque argumentis naturalibus fultus, evidentia aliqua revera perfruitur. At actum Fidei hic non efformat, sed vel praeit vel comitatur.

ARTICULUS TERTIUS

De probabilitate

35. Plerumque non modo in vitae usu, verum etiam in scientiis ipsis certitudinem assequi non possumus; sed probabilitate duntaxat contenti esse debemus. Abs re itaque non erit aliqua hic de illa summis labiis degustare. Probabile, ut ipsum nomen indicat, idem est ac dignum quod probetur, sicut amabile dignum quod ametur; soletque tale vel interne vel externe censeri, prout vel interno aliquo motivo ex ipsa rei natura desumpto, vel testantium affirmatione fulcitur. Tunc itaque obiectum aliquod interne probabile nuncupabis, cum urgenti ac valida ratione, licet non omne dubium excludente, suadetur; externe autem, cum gravi auctoritate vel extrinsecis firmatur momentis. Quod si verisimilitudine tantum seu levi admodum ratione, vel unius aut alterius parum fide digni testimonio nititur, vix aut ne vix quidem eiusmodi meretur nomen, et leviter probabile, vel etiam improbabile appellatur. Nequit enim dignum approbatione dici quod viri prudentis assensum non meretur; vir autem prudens nonnisi gravi momento permotus assensum praestat. Cum unice certitudo, et quidem ea parte qua dubium excludit, in indivisibili sita sit, probabilitas extensionem quandam ac latitudinem habet, intra quam spatiari, ac maior vel minor esse potest, prout magis minusve firmis aut auctoritatis, aut rationis ponderibus roboretur. Quo circa assensus his adhibitus, quem opinionem appellavimus, magis minusve probabilis esse potest. Qua in re arbitratus est Storchenavius (1) aliique probabilitatem minorem unius propositionis in conflictu maioris, qua contradictoria forte gaudeat, prorsus elidi, ac improbabilem reddi. Sed nae hi vehementer errant: etsi enim semel atque veritas propositionis cuiuspiam certo ac evidenter detegatur, propositio ei contradicens continuo impossibilis evadat, ac ideo ab omni probabilitate desciscat: simile tamen non contingit cum tantum de mera probabilitate utut maiori respectu minoris est quaestio. Grave enim et sufficiens motivum in suo robore persistit adhuc, tametsi cum graviori conferatur. Magis enim, et minus, ut fert effatum, speciem rei non immutat; nec dignitas inferior in dedecus degenerat, eo quod a maiori dignitate superetur; nec subobscurior lux in tenebras commutatur si lux vividior obiectum illuminet.

38. Solent nonnulli ad varios probabilitatis gradus innuendos

(1) Log. p. 3. c. 3. §. 214.

certitudinem in aliquot secare particulas, eosque per *fractiones*, quae plures pauciores ve illarum contineant, significare. Verum id, quippe cum et fundamento destituatur, et errori ansam praebeat, omnino videtur improbandum. Certitudo enim, utpote quoad dubii exclusionem in indivisibili sistens, nequit in partes dividi quae et ipsae certitudines non sint ; nec rerum quoad speciem differentium potest una ceu *fractio* alterius considerari. Sic inepte nimis imaginatio bruti veluti fractio rationis humanae cogitaretur: fractio enim per alterius fractionis continuatum additamentum unitatem vel aequiparat vel etiam superat : imaginatio autem bellnina nullius imaginationis perfectioris accessione rationem hominis unquam aequabit. Quod generatim de omni re diversae speciei ; et proinde de probabilitate etiam respectu certitudinis est sentiendum. Quare licet sine fine gradus probabilitatis augeas , etsi ad id devenire potes , ut in morali existimatione fere certum obiectum habeatur ; nunquam tamen veri nominis conflabis certitudinem. Quinam igitur probabilitas tanquam certitudinis frustum iure fingetur, nisi discrimen omne essentiale inter utrasque sublatum intelligatur, puteturque certitudo ex probabilitatum congerie coagmentari ? Quo errore nihil est in scientiis perniciosum magis.

ARTICULUS QUARTUS.

De humanae ignorantiae ac errorum causis.

36. Breviter me hinc expediam, quod enim tempus in humanae ignorantiae scrutandis fontibus tereretur , quorum plerisque remedium per praecepta adhiberi nullum potest: id ad eamdem depellendam satius erit transferre. Ignorantiae igitur , quam in cognitionis carentia reposuimus , causa est primum ipsa naturae conditio. Homo enim scientiis orbatus enascitur , ad quas pedetentim comparandas industria labore ac sensuum ministerio indiget. Existit hinc ut non parva temporis intercapedine , dum adolescat, rerum fere omnium ignoratione teneatur. Deinde cum fit aetate provectior , et ad scientias appellit animum ; etiam tum ad multorum notitiam non assurgit sive ratione limitum , quibus mens humana definitur , sive defectu experientiae , ex qua scientia hominis exorditur. His mederi incommodis, aliisque , quae omnia referre supervacaneum puto, in nostra potestate situm non est. Illa potius innuamus, quibus remedium aliquod afferre possumus. Ex horum numero est primo cum inertia quaedam animique torpor , tum voluptatum, appetitio. Ille a laboribus , qui ad scientias artesque addiscendas suscipiendi sunt , absterret; haec mentem avocat, et sensuum oblectamentis affixam acie fere destituit ac perdit. Unde fit , ut miseri hi homines silice stupidiores effecti ad omnia quae sensum superant intelligenda non valeant. Altera causa ordo praeposterus studiorum est. Non pauci enim sunt, nostra praesertim tempestate, qui morae impatientes, aut pueruli ad philosophiae studia se confe-

runt, antequam facilioribus disciplinis aetati consentaneis se exercendo, mentem ad altiora disposuerint; aut in plures scientias, easque dissitas, quibus nec tempus nec ingenium suppetit, simul incumbunt. Quo fenore? ut mens praemature adhibita et aggerie idearum oppressa leviter, aut ne leviter quidem erudiatur. Tertia ignorantiae causa ex immodico abstractarum, subtiliumque cognitionum contemptu repetitur. Fato enim nescio quo haec sententia multorum animos occupat, quidquid supra sensum extollitur, quidquid experientia oculorum vel tactus non est exploratum, quidquid ratiocinatione tantum nititur, quidquid universalem cognitionem exhibet, quidquid in summa altum sapit, nonnisi deliramentum, chimeram, inanem subtilitatem esse. Quo vitioso more efficitur ut mens torpeat, ac nobilioribus neglectis notionibus ignorantiae tenebrae grassentur in dies. Cavendum quidem est ne speculationis illecebra mens irretita nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles easdemque non necessarias conferat. At curandum pariter est, ne ea omittantur, sine quibus pleraeque disciplinae, non scientiam, sed factorum indigestam historiam praeseferrent. Quarta causa ex inepta studiorum electione dimanat: saepe enim fit, ut nullo scientiarum delectu, quin quo ingenium ferat spectetur, ad ea studia adolescentes propellantur, ad quae non natura, non consilium, sed casus, temeritas, libido ducit. Hinc usu evenit, ut et in his operam oleumque perdant, et ceteris disciplinis non imbuantur, ad quas idoneum ingenium sortiti sunt. Antequam igitur quis huic potius quam alteri disciplinae penitus hauriendae se dedat, consideret quaeso quid valeant humeri, quid ferre recusent, quippe non omnia possumus omnes.

37. Ad errorem vero quod attinet, hic non est aliud quam assensus falsae propositioni adhibitus vel dissensus verae; quae pestifera cognitionum lues vario ex fonte dimanat. Primum ex praeiudicio, seu anticipata quadam, animoque alte defixa opinione; qua qui semel animum imbuerit, eam haud facile poterit dedoceri. Remedium erit, sapiens quaedam et moderata dubitatio, qua in nullius verba iuretur, nec quidquam nisi quod aut per se evidens sit aut legitima ratiocinatione vel experientia, aut fide dignorum testimonio constet, admittendum statuatur. Alter erroris fons est affectuum dominatus; quippe, ut optime Aristoteles inquit, quisque prout afficitur indicat; tanta vis est voluntatis ad intellectus iudicia perturbanda. Id vitii effugere qui volet (omnes autem velle debent) quantum in ipso est conabitur ut in iudiciis ferendis mens, ratio, consilium, non passionum inclinatio dominetur. Quamplures fontes, ut brevi dicam, ad negligentiam quamdam, seriae considerationis defectum, nimiam propriae perspicacitatis existimationem praesertim reducuntur; ex quibus usuvenit ut argumenta utrinque militantia nihil, aut leviter perpendantur, ac temere iudicium properetur. Hoc vitabit quis, si sibi diffidat adhibeatque ad considerandas res et tempus et diligentiam. Denique errorum fons late patens Logicae est neglectus, cuius severitate posthabita, Academico

stilo saepe sub eloquentiae lenociniis, turpissima sophismata propinantur. In Logicam igitur totis viribus incumbendum, atque ea, quae forte Academicorum ritu disputata reperies, ad dialecticam erunt normam exigenda. Ita fortassis non pauca videbis, quae si verborum spolientur fuco, nullam argumenti vim, imo ne constantem quidem sibi sententiam retinebunt.

CAPUT SECUNDUM.

DE MEDIIS COGNITIONIS HUMANAE.

De mediis, quibus ad rerum notitiam capessendam provehimur, dicturi, ea primum ordinis gratia ad quendam numerum revocabimus; deinde singillatim de singulorum munere, obiecto, certitudine disseremus; quae quidem disputatio sex absolvetur articulis.

ARTICULUS PRIMUS.

De numero mediorum cognitionis humanae.

37. Quae media nobis providentissimus naturae Auctor pro veri cognitione donavit, his quinque contineri videntur: *sensilibus facultatibus*, *intelligentia*, *ratiocinatione*, *conscientia*, *auctoritate*. His instructos revera nos esse adeo demonstratione non eget, ut imo nequeat demonstrari, quin simul aliqua adhibeantur. Quod si, declarationis gratia, horum omnium existentiam explicare quis velit, is ad internam sui experientiam se convertat. Ex hac enim aperte docebitur se suarum cogitationum esse conscium, easque proinde per reflexionem attingere; tum obiecta quantitate concreta, corpora nimirum, sibi adstantia sensibus usurpare, cetera vero, quae nec conscientiae, nec sensuum experimento subduntur, ea vel vi intelligendi percipere, vel ratiocinatione, vel testantium auctoritate. Sic per intelligentiam notescit « *partes omnes simul sumptas aequare totum* » per ratiocinium scitur *animi humani nunquam in posterum desitura duratio*; per testimonium fide dignorum *Lugduni existentia*, aut *Caesaris praeclara gesta*. Esse autem recte institutam partitionem, quam adstruximus, sic suaderi utiliter potest. Cum iudicium mediorum ex fine sumendum sit; tot certe statui debent media cognitionis nostrae, quot genera obiectorum diversa reperiuntur, ad quorum notitiam comparandam ea media a natura sortiti sumus. Inquiramus igitur horum obiectorum numerum ac diversitatem, et sic dilucide numerum diversitatemque mediorum comperiemus. Obiecta itaque cognitionis quotquot excogitari possunt (ad quodlibet enim obiectum aliqua ratione attingendum cognitio pollet humana) vel sunt per se nota, idest immediate ab aliqua cognoscendi facultate percepta, vel

non; si primum triplex genus obiectorum exurgit. Nam obiectum eiusmodi vel in perceptione aliqua nobis interna positum est, vel in rebus a perceptione subiectoque cogitante distinctis. Primum genus obiecta constituet, quae *facta interna* appellabis, quaeque proinde nonnisi per reflexionem supra actus nostros, attingi possunt. Alterum genus ex rebus exurgens, quae ab animi cogitationibus differunt, vel ea complectitur quae nulla ratiocinatione, sed per simplicem relationem idearum percipiuntur, atque haec vocare possumus *intelligibilia immediata;* vel ea continet, quae impressionem in organa sensoria exercendo attinguntur, atque haec nominabimus *obiecta sensibilia.* Quod si secundum membrum primae divisionis consideremus seu obiecta non per se nota, sed quae mediate tantum ac vi alterius innotescunt; haec in duplicem classem dispesci possunt. Vel enim talia sunt, ut per comparationem cum aliis veritatibus intelligibilibus inferantur, quae proinde appellabimus *illationes*; vel sunt eiusmodi, ut nonnisi ex testimonio aliorum haberi queant, et haec, eo quod ad historiam pertinent vel a nobis loco dissident, *facta historica* nuncupabis. Ergo generali omnium obiectorum, ad quorum notitiam mens humana se porrigit, instituta, quinque genera reperta sunt: *facta interna*, *intelligibilia immediata*, *obiecta sensibilia*, *ratiocinii illationes*, *facta historica*, quibus quinque recensita media respondent adamussim. Nam facultatem, qua facta interna pertingimus, conscientiam; qua intelligibilia immediata, intelligentiam; qua obiecta sensibilia, sensus, qua illationes, vim ratiocinandi; qua facta historica, auctoritatem appellamus. Ergo instituta partitio recta completaque dicenda est. Cui assertioni consentientem habemus Genuensem, qui (1) vias investigans homini propositas ad sapientiam comparandam has quinque enumerat: auctoritatem, experimenta sensuum externorum, intimam conscientiam, intelligentiam, et ratiocinium.

At enim occurret quispiam quaerens cur memoriam non recensuimus, quae tamen facultas est, qua ideas semel habitas revocamus. Reponimus ea nos *media* ad numerandum sumpsisse, quae ad novas detegendas veritates deservirent; memoriam vero, ut ipse innuit obiiciens, non novam rei notitiam, sed quae iam habita sit, redintegrare. Quocirca facultas istaec non veluti sextum assequendae veritatis *medium*, sed ceu mediorum adiutrix et ministra haberi debet. Quibus duplici subvenit nomine, quatenus et ideas, quas illa comparant, servat retinetque, et praeteritas, quae ad illorum usum aliquando exquiruntur, instaurat.

(1) Artis. Log-crit. l. 3. c. 5.

ARTICULUS SECUNDUS

De conscientia.

38. Vim animi, qua in nos veluti redeuntes *affectiones* nobis *internas* ipsumque *subiectum cogitans* attingimus, *conscientiam* nominavimus; quae etiam *sensus intimus* appellari solet. Potest ergo haec definiri: animi facultas reflectendi in suos actus, seque suasque affectiones internoscendi. Actus itaque conscientiae, ut quisque videt, semper reflexus est; quippe qui reditu quodam mentis supra seipsam exercetur; atque ideo a veteribus *reflexio* appellabatur, metaphora a motu accepta, qui tunc reflexus audit; cum illuc, unde processit, redit. Nihilominus recentiores eam in directam et reflexam partiuntur, ut motum animi, quo affectiones internas ceu nobis inhaerentes simpliciter apprehendimus, ab eo secernant, quo deinceps *attentionem* animi ad concretum hoc convertimus, ipsumque per analysim resolutum, rursus componimus, ac affectionem illam, antea confuse perceptam, distincte nobis iudicando tribuimus. Sic apprehensio, qua nos cogitare, velle, laetari mere conscimus, ad conscientiam directam; iudicium, quo postquam nos ipsos ab affectionibus distinxerimus, subiectum cum modificatione per synthesim iterum iungimus, asserimusque nos esse qui cogitamus, qui volumus, qui laetamur, ad reflexam pertinet. Hinc facile dirimitur quaestio utrum mens in omni *perceptione* quam elicit utatur etiam *apperceptione;* seu utrum, dum alia cognoscit, de se etiam per conscientiam cogitet. Elucet enim id verum esse de apperceptione directa tantum, de conscientia nimirum, qua per simplicem veluti apprehensionem sentimus cogitationem illam, quaecumque ea sit, nobis inesse; at contra non esse dicendum idem de proprie dicta apperceptione, seu conscientia reflexa, quae ab aliis animi cogitationibus separari optime potest. Imo vero etiam debet: quippe eas praeeuntes exquirit, a motuque pendet voluntatis. Unde etiam prior dici solet *conscientia involuntaria* vel *spontanea*; altera *voluntaria*, vel absolute *reflexio.* Hinc intelligis quid sibi velint Trascendentales et Rationalistae cum de τῷ *ego spontaneo* et *reflexo* loquuntur; nam τὸ *ego spontaneum* esset subiectum cogitans per conscientiam directam tantum confuse apprehensum: *ego autem reflexum* id ipsum sed per reflexam cognitum; quamvis his, quae reapse vera sunt, absurda permulta commisceant; de quibus dicetur suo loco.

39. His explanatis apparet per conscientiam nobis non modo existentiam *modificationum* quibus afficimur, sed ipsam personae nostrae existentiam immediate referri. Quod contra Mancinum (1)

(1) Elem. di Fil. Ideol. sez. 2. c. 4. §. 104. Idem senserat Wolfius (Psychol. empir. p. 1. sec. 1. c. 1. §. 14.) qui principii in nobis cogitantis existentiam sic demonstrare conatus est; nos in nobis et nostri et a-

aliosque militat, qui contra opinantur subiectum cogitans non conscientiae testimonio sed ratione attingi, quae existentiam illius ab existentia modificationum inferat. At vero ita non est. Nam ea quidem opinione aut circulus vitiosus offenditur, aut in idealismum Kantii, qui etiam cognitionem propriae personae non realem sed apparentem ac phaenomenicam finxit (1) fiet lapsus. Quaero enim perceptio existentiae modificationum ex qua animi nostri existentia deduceretur, utrum referat modificationes illas ut nostras necne? Si uti nostras refert, iam eadem conscientia eodemque actu personam etiam nostram saltem confuse pertingimus; id enim intelligi aliter nequit. Sin vero uti nostras non refert, certe ex ipsis non aliud quam subiecti cuiusdam in genere, non vero principii cogitantis, quod nos constituat, existentia ratiocinando deduci poterit. Atque ideo cum nos notionem huiuscemodi habeamus, hacc, utpote neque ex immediata experientia, neque ratiocinatione experimento nixa proficiscens, mere idealis ac phaenomenica, quod Kantiani vehementer velint, dicenda foret. Nec Mancini obiectio audienda est occurrentis : si ita esset, naturam etiam animi immediate notescere, ac proinde omne de re hac dissidium exulaturum fuisse. Nam reponimus aliud esse attingi existentiam, aliud vero naturam. Quod ipse etiam fateri cogitur; qui certe statuit modificationes sive corporum sive animi immediate percipi, nec tamen omnium earumdem naturam in promptu esse ac indubiam comminiscitur. Sane, ut de aliquibus tantum innuam, nonne sensum libertatis, cogitationis, iudicii, aliorumque quamplurium immediatum habemus; et tamen dissensione non modica de horum natura a philosophis disceptatur? Ex eo igitur quod subiecti cogitantis essentia disputationi subdatur, colligi duntaxat debet immediatam ideam, quam de ipso conscientia suppeditat, non esse eiusmodi, ut illius notas, ac characteres praebeat, sed has ratiocinatione perquiri.

40. In certitudine demum conscientiae tuenda non immoror, quam nonnulli perperam demonstrare conantur. Est enim revera illius relatio et veracitas, *factum* aliquod *primitivum* sponte sua patens, de quo dubitare non possumus, quin naturam ipsam rationalem exuamus. Tanta siquidem evidentia exinde dimanat, ut, velis, nolis assensum extorqueat, nec ullum relinquat dubitandi spatium. Quocirca etiam qui ex intemperanti scepticismo reliquam omnem certitudinem ablegarunt; conscientiae tamen testimonium, subiecti cogitantis existentiam, animique affectiones referentis inficiari, aut in dubium adducere ausi non sunt. Et merito, nam cum ipsa negandi actio vel dubitandi mentis affectio sit, atque animi cogitantis sibi

liorum existentium extra nos conscii sumus; sed qui sui et aliorum extra se conscius est, existit; ergo et nos existimus. At manifeste petit principium; in maiori enim illationem ipsam uti certam assumit. nempe subiecti cogitantis existentiam in statu tamen cognitionis sui aliorumque. Qui enim affirmat se esse conscium, una pariter se esse affirmat.

(1) Crit. R. P.

implicet existentiam: hoc ipso quod dubium adstruitur, conscientiae veracitas vindicatur, atque eodem quis relabitur, quod declinaturus cavebat. Quae verissima animadversio post D. Augustinum philosophis omnibus solemnis est. Sic igitur vir ille summus (1) » Nam et sumus, *inquit*, et nos esse novimus, et id esse, ac nosse diligimus. In his autem tribus, quae dixi, nulla nos falsitas verisimilis turbat. Non enim ea, sicut illa, quae foris sunt, ullo sensu corporis tangimus, velut colores videndo, sonos audiendo, odores olfaciendo, sapores gustando, dura, et mollia contrectando sentimus. Quorum sensibilium etiam imagines eis simillimas, nec iam corporeas cogitatione versamus, memoria tenemus, et per ipsas in istorum desideria concitamur. Sed sine ulla phantasiarum, vel phantasmatum imaginatione ludificatoria mihi esse me, idque nosse, et amare certissimum est. Nulla in his veris Academicorum argumenta formido dicentium : quid, si falleris? si enim fallor, sum. Nam qui non est, utique nec falli potest ; ac per hoc sum, si fallor. Quia ergo sum si fallor, quomodo me esse fallor, quando certum est me esse, si fallor ? »

41. Oppones I. Conscientiae veracitas demonstrari non potest; ergo conscientia non est medium assequendae veritatis. Deinde ut certi simus nos conscientiam habere huius vel alterius affectionis, alia indigeremus conscientia; et pro hac iterum alia, atque ita progressus instrui posset sine fine. Ne igitur in absurdum eiusmodi delabamur, dicendum potius conscientiam non esse medium, quo internarum animi affectionum certiores evadimus.

Resp. obiectionem falso supponere, quidquid non demonstretur, non esse certum; quo nil absurdius dici potest. Ut enim ostendemus inferius, nisi quaedam essent per se cognita, quae ratiocinatione firmari non egeant; ne demonstrando quidem certi quidpiam haberi posset. Demonstratio siquidem principia supponit indubia, quae aliunde non deducantur. In horum numero haberi debet conscientiae testimonium, quo nobis nihil est intimius. Quare quod non demonstretur, id ex summa ipsius oritur evidentia, nec eius robur infirmat: quemadmodum non tenuatur, sed commendatur magis solis claritas, quod alia luce non egeat collustrari. Sic igitur *distingues ant.* conscientiae veracitas demonstrari non potest, quia non eget, sed immediate patet, *conc*; cum egeat, *nego*. Ad alterum respondeo conscientiam tum sui, tum aliorum esse testem, neo alieno egere subsidio. Cum enim vis quaedam sit reflectendi, pro obiectoque habeat quamlibet animi affectionem; in semet, quandiu lubet, redire potest, ac ipsum consciendi actum iterum iterumque pertingere.

Oppones II. Conscientia nec affectionum internarum causas manifestat, nec modum, quo excitantur, nec cuius naturae sint. Imo multa, quae fiunt in nobis, non refert; qualia sunt sanguinis in corpore gyratio, nutritionis augmentum, aliaque id genus. Ergo non est medium, quo internas modificationes noscimus.

(1) Lib. 2. de Civ. Dei c. 26.

Resp. Ea quae obiiciuntur non esse conscientiae obiecta, sed rationis. Conscientia enim nonnisi existentiam subiecti cogitantis, ac modificationum eius attingit. Horum vero naturam, causas, discrimen, genesim explicare rationis est, quae experimentis innixa id ex indubiis derivet principiis. Sanguinis autem circulatio, et similia in homine peraguntur sine sensili immutatione animi, atque ideo consciri nequeunt; conscientiae enim obiectum non quibusque hominis affectionibus, sed iis duntaxat, quae ipsum cogitandi principium, nempe animum, afficiant immutentque, continetur.

Oppones III. Amentes, et somniantes putant affectiones habere, quas non habent. Ergo fallax est conscientiae testimonium.

Resp. Nos cum amentibus, vel somniantibus non disputare. Illi extra statum ad rite cognoscendum, et iudicandum idoneum; nos de homine loquimur, qui remotis impedimentis in debita cognoscitivarum facultatum dispositione reperiatur. Quod si quis ambigat utrum deliret, vel somnietur; is cum iam in amentium sit numero non ratiociniis, sed helleboro curandus est. Atque haec, omissis aliis quae afferri solent, expeditior et verior responsio videtur.

Oppones IV. Nostri existentiam immediate per cosciontiam non attingi; ergo falsum est quod §. 39. statuitur. *Pr: Ant*: Nam subiectum cogitans vi suarum modificationum percipitur; proinde vi alterius, estque illatio aliunde deducta, non veritas immediata, et primitiva. Et sane id vult effatum a Cartesio invectum et omnium fere sapientum suffragio confirmatum: cogito; ergo sum.

Resp: *neg: ant*. Probationem vero *dist*: subiecti cogitantis existentia vi suarum modificationum percipitur, quatenus istinc ratiocinando inferatur, *nego*; quatenus ratione earum pertingatur ut quid concretum, seu ut subiectum illis affectum, *concedo*. Cum conscientia reflexione constet, et motus reflexus directum supponat; consciendi actum perceptio quaedam directa, si non tempore, saltem natura antevertit. At, hac semel habita, per conscientiam affectionem illam in concreto, seu prout subiectum afficit apprehendimus. Qua in cognitione duo pertinguntur; existentia modificationis, et existentia subiecti; idque ex ratione superius exposita evidenter elucet. Quare, etsi animi modificatio sit veluti ratio percipiendi subiectum cogitans: tamen non est veritas, unde huius existentia deducatur, ut vellet adversarius. Ad effatum vero Cartesii quod attinet, subiungo nos neque Cartesium neque eius effata ad tuendum cogi. Caeterum ipse Cartesius sensum, quo illud dixit explicuit, sic Gassendo reponens (1) » Neque etiam cum quis dicit: ego cogito, ergo sum, sive existo; existentiam ex cogitatione per syllogismum deducit; sed tanquam rem per se notam simplici mentis intuitu agnoscit, ut patet ex eo quod si eam per syllogismum deduceret; novisse prius debuisset istam maiorem: illud omne quod cogitat est, sive existit. Atqui profecto ipsam potius discit ex eo quod apud se experiatur fieri non posse, ut cogitet, nisi existat. Ea

(1) In respons. ad 2. obiec. Gassendi.

enim est natura nostrae mentis, ut generales propositiones ex particularium cognitione efformet ».

ARTICULUS TERTIUS.

De intelligentia

42. Vim percipiendi relationes idearum, easque iudicandi, nullo opitulante discursu, *intelligentiam* diximus. Quocirca duo actus ad ipsam pertinent: simplex apprehensio et iudicium, quorum primus via quaedam est ad alterum, eiusque veluti inchoatio. Recolantur ea, quae de duplici hac operatione mentis sive in dialectica, sive in primo capite partis huius disseruimus. Haec facultas prima est virium intellectualium, quae in nobis ad operandum procedit, motusque ipsius omnium est simplicissimus. Aliae enim mentis vires, dum agunt, iudicium vel simplicem saltem aliquam apprehensionem supponunt, eique aliud aliquid superaddunt. Sic conscientia cogitationem mentis nonnullam, quae ipsius obiectum constituat, et cuius vi subiectum ipsum cogitans attingat, praeeuntem habet; ratiocinatio vero iudicia, ex quibus novam veritatem inferendo derivet. Quod si ordo quaeratur, quo se duo illi actus excipiunt; dubitandum plane non est, quin iudicium praevertat apprehensio. Quae veritas etsi satis perspicua per se sit, nonnulli tamen eam obscurare tentarunt, atque opinionis errore simplici apprehensioni iudicium saepe aliquod praeire finxerunt (1). At certe hi neutiquam cogitarunt completo operi initium, et partem toti, dum fiunt, praeire oportere, nec posse iudicium mente conflari quin simplices perceptiones, in quibus affirmandis vel separandis illud vertitur, ante habeantur. Non moror autem in natura horum actuum explicanda, cum de ipsis satis in dialectica dictum sit. Ad alia potius, quae hunc locum attinent, veniamus. Iudicia, ad quae facultas haec animi dirigitur, immediata dicuntur, quippe suapte fulgent evidentia, nec ab aliis ratiocinatione deducuntur; eaque duplicis sunt generis. Nam aut identitate idearum nituntur, ut: totum quavis sui parte maius est; aut facto ipso seu certa experientia, ut: corpus ex alto decidens tellurem petit. Illa appellantur *rationalia*, quia mere rationis seu mentis sunt opus; vel etiam *necessaria*, quia mens nequit praedicatum subiecto non tribuere; vel etiam *pura*, quia ab experimento non pendent; vel etiam *analytica*, quia ex resolutione ideae subiecti oritur ut praedicatum ea inclusum eidem tribuendum esse noscatur. Altera vocantur *empirica*, seu *experimentalia*, quia experimento fundantur, vel etiam *contingentia*, quia, quin idea subiecti destruatur, praedicatum removeri potest; vel etiam *synthetica*, quia attributum extra notionem subiecti positum sibi adiungunt. Tertium genus invexit Kantius *iudicia* nimirum *synthetica a priori*; sed ip-

(1) Reid. Oeuv. compl. t. 2. ch. 2. sec. 4.

sum in 1. Ontologiae capite refutabimus, ubi accuratius etiam materiam hanc et fusius perpendemus. In praesenti quae innuimus sint satis. Ad iudicia primi generis habenda sufficit apprehensio idearum, ex quarum comparatione emergit illico ut mens earumdem convenientiam vel pugnam agnoscat. Sic ut affirmemus totum singulas viritim partes excedere, haud opus est idipsum experimento comperire; sed satis erit ideam totius ideamque partis mutuo conferre. Excessus enim supra partes et ratio totius idem reapse inter se sunt, idque mens, notiones illas perspiciens, nequit non contueri. Quocirca iudicia eiusmodi veritates etiam identicae sunt appellata. Qua in re duplex eripiendus est error, eorum videlicet, qui opinantur mentem a veritatibus identicis non erudiri, easque frivolas et ταυτολογιας vocant. et illorum, qui id respuentes, putant tamen posse illas hac generali exprimi formula $A = A$, seu: *quod est, est*. At enim utrosque a vero abduci perquam perspicuum est. Nam veritates identicae mentem reapse instruunt; quandoquidem relationem, unius ideae ad alteram patefaciunt. Sic cum dico : *totum qualibet sui parte maius est*, propositione exprimo aliquam ex relationibus quas *totum* ad *partes* habet. Et quamvis idea subiecti, et praedicati idem contineatur, hoc tamen intelligi debet quoad rei substantiam, non vero quoad modum et respectum, quo res eadem repraesentatur; hic enim reapse satis diversus est. Atque ut eodem instemus exemplo, cum dico: totum est singulas excedens partes, *excedens partes*, quod est praedicatum idem quidem refert, ac subiectum nempe *totum*, at sub diverso respectu, videlicet sub ratione excessus, quem respectu singularum partium, quibus constat, *totum* includit. Exinde tamen sequitur non debere veritates *identicas* ad formulam illam revocari $A = A$; seu, *quod est est*; atque in hoc Stewartio assentimur (1). Revera enim propositio istaec nugatoria est; idem enim et eadem notione eodemque respectu expressum praedicatum ac subiectum amplectitur. Potius si Algebraica expressione uti hac in re quis velit, veritates eiusmodi revocandas ducerem ad formulam hanc: $A = B + C$; supposito $B + C$ eandem esse quantitatem ac A, sed diversa relatione expressam,ut si ex:gr: A statuas$=4$. $B + C = \sqrt{16}$.

De infallibilitate mentis in his proferendis iudiciis non disserimus; id enim sine *petitione principii* demonstrari non potest, eaque est veritas de qua subdubitari nequit, quin mentem ipsam destruamus. Illud tamen unum animadvertimus, quod in simili de conscientia observavimus, veracitatem intelligentiae hoc ipso, quod negaretur, adstrui. Nequit enim negari aliquid, quin hoc ipso iudicetur statuaturque, saltem *implicite*, negationem non esse affirmationem : idque certe veritas quaedam est ad intelligentiam pertinens.

43. Obiicies 1. Intelligentia humana limitibus circumscribitur suapte natura fallibilis, ac imbecillitatis plena est. Ergo in iudiciis

(1) Elem de Phil. de l'esprit hum. t. 3. ch. 2.

omnibus ferendis decipi potest. Non est igitur assequendae veritatis medium.

Resp. Revera esse imbecillitatis plenam obiectam difficultatem. Etsi enim limitibus definita est mens hominis; tamen est intelligentia, ut ipse fatetur adversarius. At quinam intelligentiae natura persisteret, si semper deciperetur, seu, quod idem sonat, si nihil unquam intelligeret? Ex eo igitur, quod finita sit, non sequitur eam semper errare, aut saltem errare posse; sed non se ad omnia cognitione sua protendere, quod infinitae duntaxat intelligentiae proprium est. Tum etiam sequitur, eam in iis, quae sponte sua non patent sed discursu colligenda sunt, posse a veritate desciscere, si legitimis ratiocinandi regulis non utatur. Atque hoc mentis humanae importat *fallibilitas*.

Obiic. II. Potest homo, sicut reapse est, generatim propensus esse in malum. Ergo similiter in falsum. Sed generali in falsum propensione adstructa, nil certi pro intelligentia superest; Ergo etc.

Resp. *Dist. Ant.* potest homo, sicut reapse est, in malum esse propensus per rationalem appetitum, *nego*; per appetitionem sensilem, *subd.* in malum, quod sit eiusmodi respectu sensibilium facultatum, iterum *nego*; respectu rationis, *distinguo rursus*, quae tendentia ab ipsa ratione verum bonum appetente corrigi possit ac temperari, *conc.* secus, *nego*. Cum homo animo constet et corpore, intellectu et sensu, duplicis generis appetitiones habet: rationales quae ad bonum menti consentaneum impelluntur, et sensiles ad bona tantum corporea inclinantes; quibus obsequi etsi rationi aliquando malum sit, sensibus tamen non est ita. Quare appetitio quaevis in suo genere semper ad bonum tendit; quanquam non raro bona sensuum bono mentis adversentur, idque ex naturali imperfectione hominis oriatur. Cui incommodo natura optime cavit, portionem sensilem rationi subiiciendo, quae verum agnoscens et diligens bonum, inferiorem appetitum moderaretur, atque ad sibi serviendum flecteret. Falsa est igitur generalis hominis ad malum propensio; ac multo magis falsa esse debet universalis inclinatio ad falsum, quae ex eo etiam repugnat, quod ne peculiaris quidem esse possit. Etsi enim bonum, respectu diversarum facultatum, bono queat aliquando reluctari: tamen verum nunquam vero opponi potest. Non enim, uti bonum, *relativum* est, nempe in conformitate cum natura perficienda consistens, sed mere et semper *absolutum*, nimirum in convenientia vel pugna *praedicati* cum *subiecto* repositum.

Obiic. III. Ut certo constet evidentiam iudiciorum immediatorum rite esse comparatam, debet hoc profecto per normam aliquam diiudicari. Ergo eorum veritas obiectum est non intelligentiae, sed ratiocinii. Insuper eorum certitudo ab usu pendet debitae attentionis, et idonea dispositione mentis. Non igitur immediate patet, sed aliunde colligitur.

Resp. *Nego* 1.^m^ *Ant.* vel, si lubet, *dist.* debet hoc diiudicari per normam aliquam ab ipsa evidentia illorum iudiciorum non distin-

ctam, *conc*. distinctam, *nego*. Quemadmodum lux solis, ut conspiciatur, alia luce non indiget: sic evidentia iudiciorum, quae immediate patent menti, ad plenam sui gignendam certitudinem nil praeter sui evidentem perceptionem exquirit. Unde ipsa sibi sunt veritatis norma; nec unquam fieri potest ut mens, modo valeat, in eorum perspicientia hallucinetur. Quod vero requiratur diligens mentis attentio, idearumque penetrans intuitio, et mentis conformatio valens; haec non sunt nisi *requisita*, non autem principia ex quibus iudiciorum immediatorum veritas ratiocinando derivetur. Quocirca sic propositionem adversarii distingues: eorum certitudo pendet ab usu attentionis etc: tanquam a conditione, *conc.* tanquam a demonstrationis principiis, *nego*.

Obiic. IV. Multi erronea docent, et tamen ea sibi immediate esse evidentia asseverant. Ergo mens, dum in iudiciis immediatis versatur, decipi potest.

Resp. Eiusmodi homines id asseverare ore duntaxat; non interna animi persuasione, quae omne dubium excludat. Studio enim abrepti partium, dum sua tueri placita non possint aliter, ad iactatam confugiunt evidentiam; at fide non bona, sed simulate ac fallaciter. Nil proinde ex ipsis contra nos desumi potest argumenti.

ARTICULUS QUARTUS.

De vi ratiocinandi.

44. *Ratiocinandi vis*, quae in ignoto ex notis educendo exeritur, actum habet, qui etsi in se simplex sit (situs enim est in eo mentis intuitu, quo veritas una ut ex alia profluens perspiciatur): tamen ratione eorum, quae praecedunt vel comitantur, omnium maxime complexus est. Exerceri enim aliter nequit, nisi iudicia ante proferantur, et prolata inter se comparentur, et diversorum mutuae relationes et generalia particularibus conferantur. Quare non modo simplicem apprehensionem iudiciumque praevium exquirit; sed etiam et abstrahendi usum et comparationem idearum et synthesim postulat. Insuper etsi vis eius una sit eademque: tamen diversis induitur formis, aspectuque se prodit multiplici, cuius rectitudinem processumque legitimum saepe haud facile est iudicare. Quocirca examine indiget accurato, statisque legibus, quas considerat dialectica, cuius est artificium ratiocinii variasque formas expendere; idque nos, quantum licuit, fecimus diligenter. Reliqua potius, quae ratiocinationem spectant, delibemus.

Mens praemissis assentiens nequit non assentiri conclusioni, quae ex illis iuxta logicae regulas derivetur. Cum enim haec in praemissis contineatur, si mens assensum cohiberet, a vero evidenti refugeret, quod contra eius naturam est. Nec in eo falli posse perlucet, nisi rationem non esse rationem contradictorie statuamus. Ut autem rite conclusionem inferat, non logicae modo regulas servari oportet; sed etiam praemissae, quibus innititur,

certae et evidentes esse debent : sunt enim hae veluti causae in illam influentes. Age vero , ratiocinium eiusmodi , idest quod a certis evidentibusque procedit praemissis *apodicticum* seu *demonstrativum* dici solet. Sunt vero huius genera quatuor: I. Demonstratio *a priori*, cum effectus notitia ex notitia causae suppeditatur, ut si libertatem hominis ex eius rationalitate demonstres. II. Demonstratio *a posteriori*, cum contra causa probatur ex effectu, ut si extare Deum e rerum creatarum ostendis existentia. III. Demonstratio *directa*, ea nimirum, quae ex una subiecti notione ad aliam inferendam pergit; ut si ex animi simplicitate eiusdem perpetuitatem elicias. IV. Demonstratio *apagogica* aut *indirecta*, quae rem ex absurdis alias consequuturis ostendit, ut si futuram vitam ex non aequa in praesenti aevo retributione deducas. Harum praestantissima est demonstratio a priori ; quandoquidem in ipsa mens plene conquiescit; in ceteris adhuc irrequieta persistit, non quidem quoad exclusionem dubii; sed quoad sciendi cupiditatem exinde obortam , quod rei nondum perfectam scientiam comparaverit. Tunc enim, ut praeclare Aristoteles, vere scimus (intellige κατ' ἐξοχήν) cum rei causam dignoverimus: τότε ἐπιςάμεθα , ὅταν τὴν αἰτίαν εἰδῶμεν. Haec appellabatur a veteribus demonstratio *propter quid* , quae autem a posteriori procedit, demonstratio *quia* dicebatur.

Alia etiam partitio referri solet, qua ratiocinium tribuitur in *purum* , *empiricum* , *mixtum*. Primum est, quod solis praemissis rationalibus constat ; alterum , quod solis experimentalibus ; tertium , quod altera rationali, altera experimentali. Denique recenseri potest ratiocinatio *ad hominem* , qua nimirum ex ipsis adversariorum principiis aliquid contra ipsos ostendimus ; et ratiocinatio *hypothetica* , idest qua hypothesis assumitur quaedam , ex ipsaque phaenomena explicantur. At haec non est veri nominis demonstratio, et vix probabilitatem, vel ne vix quidem exhibet. Tamen utilis est quandoque ad aliquam explicationem effectuum, qui apparent , afferendam , quotiescumque vera causa anquiri nequit.

45. Demonstratione acquiritur *scientia* , quae idcirco describi solet : cognitio certa et evidens per demonstrationem comparata ; quanquam interdum hoc nomine intelligatur habitus ad illam inclinans , et latiori etiam sensu cognitio quaevis certa et evidens sive ratiocinatione, sive sola experientia, aut relatione idearum acquiratur. Porro scientia dividi praesertim solet in *theoreticam* et *practicam* : illa est quae in rei contemplatione simpliciter sistit ; haec vero quae ipsam rei notitiam ad operationem dirigit.

46. Occurres I. quaerens cur ratiocinii veracitatem asserendo statuimus , non demonstrando ?

Reponimus : quia haec etiam est veritas *facti* (quod aiunt), et *primitiva*, quae per se ipsa perspicuitatem habet ; mens siquidem, quae ad verum evidenter propositum suapte natura determinata est , hoc ipso quod praemissis assensum praestat, cogitur etiam assentiri illationi , quam illae sibi implicant evidenter. Quocirca veritas haec explicationem admittit, at demonstrari non eget;

imo nequit, quin manifesta inducatur *petitio principii*. Dum enim ratiocinii veracitas demonstratur, eadem usu ipso certa esse subauditur.

Obiic. II. Si ratiocinatio verax esset, nullus error in scientiis comperiretur, nulla dissentientium philosophorum discrepantia.

Resp. *Dist.* nisi ex pertinacia, praeiudiciis, partium studio, ceterisque errandi capitibus, adstruerentur, tamquam principia, ea, quae reapse nec sunt nec ipsis eorum auctoribus videntur eiusmodi; nec pro ratiociniis paralogismi et sophismata haberentur, *conc.* secus, *nego.* Errores huiusmodi et dissentiones non inde oriuntur, quod mens in rite ratiocinando fallatur: sed unice ex eo, quod statuantur a nonnullis instar principiorum non pauca, quae vix hypotheses, imo aliquando nonnisi exaestuantis ingenii deliramenta dici debent: vel etiam quod, etsi vera iaciantur principia; tamen de recta ratiocinandi via mens deflectat. Quae duo vitia si vitarentur, nullus hercle in scientiis error, aut dissidium dominaretur. Verum haec beatorum felicitas, non praesens hominum conditio est.

Obiic. III. In ratiocinando memoria utimur; haec autem fallax est. Ergo saltem, hoc nemine, est error in ratiocinatione pertimescendus.

Resp. *Dist. Maior.* in ratiocinando memoria utimur semper, *nego*, aliquando *subd.* ita ut in potestate rationis sit, ea quae illa refert, ad trutinam revocare pro lubito, *conc.* secus, *nego.* Item *Dist. min.* memoria fallax est quatenus labi potest ac ea quae alias arripuit non satis reminisci, idque ipsa testante conscientia, *conc.* quatenus sufficienti attentione adhibita potest evidenter referre falsum, *nego.* Obiectio non una ex parte vacillat. In primis, verum non est in omnibus ratiociniis usum esse memoriae. Cum enim illationes ex principiis primis et per se evidentibus proxime deducuntur; tum mens eodem tempore praemissas et conclusionem inde manantem contuetur, nec opus est ut alia memorando revocet. Deinde etiamsi in ratiociniis longioribus, quibus remota admodum ab iudiciis immediatis illatio deducitur, adiuvari mens memoria debeat: tamen ratiocinationes ante institutas, et memoriae commendatas, iterum, si velit, ad examen traducere potis est. Denique iactata memoriae fallibilitas plus aequo exaggeratur. Haec enim in eo tantum cernitur, quod multa olim leviter cognita obliterentur; non pauca etiam dubitando meminerimus, atque hoc ipsum conscientiae evidenti testimonio manifestatur. Nunquam vero in hoc consistit, quod, nullo intercedente impedimento, referat, tanquam certam, rem dubiam, aut alias non perceptam. Quod si quando in nonnullis accidit, id ex imprudentia temere iudicantis atque debitae considerationis carentia contigisse dicendum est. Memoria enim et ipsa cognoscendi facultas est ad ideas praeteritas revocandas data; nulla autem facultas circa proprium obiectum, si rite adhibeatur, falli potest.

Obiic. IV. Si vis ratiocinii perpenditur, videbitur profecto ipsum illuc revocari, ut particulare ex universali deducat, quippe cum o-

mnes ratiocinandi modi ad syllogismum aliquem reducantur. Atqui haec progrediendi ratio naturae hominis refragatur, cuius est ex particularibus ad universalia devenire. Ergo etc.

Resp. *Conc. Maior.* Ad *min. Dist.* cuius est ex particularibus ad universalia devenire in ideis acquirendis, *Trans.* in inferendis veritatibus, *nego.* Adversarius duo inter se admodum diversa confundit: ordinem efformandarum idearum, quae iudicii sunt elementa, et ordinem iudiciorum deducendorum. Illum talem esse largimur, ut mens a notione minus universali ad universaliorem gradiatur. Sic ab idea hominis individui ad ideam hominis in genere; ab idea hominis in genere ad ideam animalis; ab hac iterum ad ideam viventis; atque ita porro *abstractionis* ope a magis compositis ad simpliciores conceptus, atque ideo generaliores, incedit. Quod tamen hic idcirco *transmisimus*, quia non huius loci sed ideologiae quaestio est. At contra cum non de *abstrahendis ideis*, sed de *deducendis cognitionibus* agitur, mens inversum pergit iter. Ab universalioribus nimirum iudiciis, quibus implicitum saltem dat assensum, ad minus universalia regreditur: idque ex ipsa ratiocinii natura repeti debet, ut ex iis, quae in tertio Dialecticae capito dicta sunt, satis superque colligitur. Nec huic rei obest quidquam quod aliquando in demonstrationibus analytica methodo confectis, quales potissimum sunt eae, quae *puta* in algebra aliquando fieri solent, aliter factitari videatur. Nam si accurate demonstrationes illae perpendantur; patebit profecto eas, qua non inductione nituntur, semper ab aliqua generaliori praemissa suam deductionem elicere.

ARTICULUS QUINTUS.

De sensibus externis.

47\. *Sensuum* nomine modo *quaedam corporis partes quarum immutatione, a corporibus in nos agentibus exorta, perceptio sensilis excitatur in animo;* modo ipsa *sentiendi vis* significatur. Si priori interpretatione sumantur, nihil sunt aliud quam membra quaedam humani corporis ad impressionem materialem obiectorum recipiendam idonea; eaque his continentur: *oculis*, *auribus*, *naribus*, *palato*, et *tactu.* Appellantur autem *sensus externi*, ut distinguantur etiam nomine a cerebro, quod *sensorium internum* dicitur. Sin autem posteriori acceptione spectantur, facultatem innuunt, qua existentiam corporum, eorumque varias qualitates attingimus; atque pro obiectorum diversitate tribuuntur in vires has: *visum, auditum, olfactum*, *gustum*, *vim tactilem.* Harum quaeque peculiare suum habet obiectum, quod proinde *sensibile proprium* a veteribus nuncupabatur. Sic visu tantum *colores* percipimus, auditu *sonos*, *odores* olfactu, gustu *sapores*, vi tactili *resistentiam*, *calorem*, *frigus* etc: quamquam nonnulla sunt, ut ex: gr: *extensio*, *figura*, *motus* aliaque, quae pluribus sensibus sunt obnoxia, quaeque idcirco *sensibilia communia* nominabantur antiquitus.

48. Sensuum relationes id constituunt, quod *experientiam externam* dicimus, quemadmodum conscientiae testimonium *experientiam internam* efformat. Porro ut huius auctoritas ne a scepticis quidem in dubium vocari potuit, sic contra illorum veracitas a scepticis simul et idealistis unanimi semper fuit impetita consensu. Hanc itaque a nefariis conatibus vindicemus oportet; idque eo facilius, quod, cum alia cognitionis media iam vindicaverimus, eorum fidem ad huius defensionem, sine ulla *principium petendi* formidine, adscire possumus. Quanquam igitur necessitas revera non urgeat, adeo ad fidem his faciendam apud quemque vis ipsa naturae pollet; tamen ut adversantium proterviam retundamus, sensibus, modo valeant atque impedientia detrahantur, falsum subesse non posse probemus. Principio itaque sic ratiocinor: Sensus media quaedam sunt quae nobis natura concessit ad quamdam rerum comparandam notitiam, atque praesentis vitae tutelae prospiciendum. Hoc conscientia ipsa testatur; siquidem quisque sibi est conscius sensibus manifestari quae utilia sint, quae noxia humano composito, iisdemque se rerum corporearum cognitionem attingere. At vero, ni naturam eiusque auctorem quidpiam perperam vitioseque moliri stulte opinemur: fingi profecto nequit media nobis tributa esse, quae non modo sufficientia non sint, verum etiam sponte sua a fine desciscant. Ergo subdubitari prudenter non potest sensus, dum sint rite dispositi recteque adhibiti, circa obiecta ad se pertinentia, eaque potissimum quae ad vitam alendam tuendamque requiruntur, errori esse subiectos. Deinde, quod constans est, uniforme, commune apud omnes, nonnisi a natura proficiscitur. Effectus enim congruentem exposcit causam; atque ideo si universalis est et perennis, nequit nisi a causa, quae communis et constans, eademque in omnibus sit, exoriri. Atqui omnes homines ad fidem habendam sensibus unanimiter constanterque propelluntur; idque tanta vi ut nil putent evidentius, quam quod propriis sensibus usurparunt. Ergo propensio istaec a natura procedit. At natura nequit ad falsum impellere, nisi Deum ipsum fallacem, ac erroris auctorem, quod metaphysice repugnat, efficere velimus. Fatendum est igitur sensus suapte vi vera referre, et nonnisi *per accidens*, ut aiunt, posse decipi.

49. At enim ne in sensuum relationes error irrepat, idoneus eorumdem usus exquiritur. Id fiet si quaedam conditiones serventur, quas experientia et ratio persuasit; quaeque pro rei opportunitate ac circumstantiis, aut omnes, aut aliquae saltem, adsint curandum est. Potissimum autem hae recensentur: 1. *Consentanea et valens sit sensuum dispositio.* Ex huius conditionis carentia, efficitur ut qui vitioso humore oculos suffusos habet, is alio, quam revera est, colore affici obiecta videat. Valentes autem esse nobis sensus et rite dispositos, conscientia monebimur, si eorum relationes constantes sint et uniformes inter se, ac ceterorum hominum, quibuscum vivitur, sensuum testimonio consentientes. 2. *Diligens sit eorumdem ad observandum applicatio.* Quandoque enim oportet plus

vice simplici eundem sensum ad obiectum rite attingendum adhibere; quandoque etiam plures sensus ad explorandum convertere. Sic oculi errorem aliquando corrigit manus, aliquando errorem auris emendat oculus. 3. *Obiecti sit consentanea proportio tum distantiae, tum magnitudinis, tum motus.* Si enim obiectum propius remotiusve, quam par sit, proponatur, aut sit perexiguum vel extensionis immanis, aut denique vel ipsum vel spectator motu concitato feratur: impressiones in organo, vel vividiores vel debiliores, quam opus sit, vel etiam nullae erunt; vel denique non eo ordine ac quiete peraguntur, quae sint ad obiectum rite attingendum opportuna. 4. *Medium inter sensum et obiectum intercedens sit liberum et uniforme.* Hinc sidera modo videntur esse lucidiora, modo minus lucentia pro maiori vel minori vaporum copia, qui atmosphaeram occupant. Hinc etiam remus aqua demersus fractus apparet, ratione densioris medii in quo invenitur obiectum, et rarioris in quo est spectator.

50. Obiic. I. Sensationes, cum nobis inexistant, sintque affectiones quaedam subiecti sentientis, referre nequeunt nisi id, quod sentientem ipsum intrinsecus afficit. Qui igitur fit ut per ipsas obiecta extrinseca percipiamus?

Resp. Huic obiectioni triplex solutio dari solet a philosophis, iuxta diversam sententiam, quam sequuntur. Aliqui enim cum Condillachio putant omnes sensationes esse *subiectivas*, idest eiusmodi ut per ipsas immediate percipiantur tantum affectiones subiecti sentientis: excipiunt tamen sensationem soliditatis et resistentiae, quam aiunt natura sua esse etiam *obiectivam*, idest quae referat obiectum resistens a sentiente distinctum. Unde tactum statuunt tanquam sensum, qui nobis revelet existentiam obiectorum externorum, et ex huius veluti disciplina erudiri nos atque assuefieri ad ceteras etiam sensationes obiectis referendas. Verum haec opinio falsa esse, nec vel instar hypothesis ad rem congruenter explicandam accomodata videtur prorsus. Sensatio enim resistentiae eiusdem indolis est ac ceterae sensationes; proindeque si hae impares sunt ad obiecta externa nobis manifestanda, neque illa certe sufficiet; cum et ipsa affectio quaedam sit subiecti sentientis. Alii, quibuscum consentit Rosminus, existimant ex sensationibus nos certiores fieri de obiectis vi iudicii, quo ratiocinatione fulti affirmemus sensationum, quas experimur, externam aliquam reperiri causam: ex eo potissimum, quod sensatio utpote a voluntate in nobis non pendens, necessario ut effectus agentis externi ab animo cogitatur. Alii demum, ut Reid (1) et Galluppius (2), censent sensationes omnes esse natura sua obiectivas, hoc est per se et immediate referre obiectum extra nos positum. Huic tertiae sententiae utpote verissimae nos assentimur, et ad ipsam confirmandam hac praesertim ratione adducimur: Cum per omnem perceptionem aliquod obiectum percipi de-

(1) Essai sur les facultes intell. de l' hom. Ess. 2. ch. 7. et suiv. oeuv. t. 3.

(2) Vid. Saggio Filosofico t. 2. c. 1. §. 9.

beat (perceptio enim, qua nil percipitur, figmentum est et contradictio) ; quaeri sane poterit quid per sensilem perceptionem proxime percipiatur. Profecto aliquid aut in nobis aut extra nos positum: omnia enim his duobus rerum generibus continentur. Atqui ea , quae nobis insunt , per sensilem perceptionem non attingimus , utpote cum obiectum sint conscientiae. Restat igitur , ut , nisi istiusmodi perceptione nil proxime attingi velimus (quod conceptuum pugna laborat): per ipsam obiecta nobis extrinseca immediate percipi fateamur. Qua adstructa sententia , adversariorum obiectio ruit funditus. Falsum enim omnino est sensationem , eo quod affectio sit subiecti sentientis , non posse obiectum externum immediate referre; siquidem ita eiusmodi subiectum afficit , ut simul natura sua obiectum ab illo distinctum attingat repraesentetque.

Obiic. II. Sensus circa obiectum, quod referunt , saepenumero falluntur ; sic remus aqua mersus fractus apparet ; turris quadrata eminus inspecta rotunda esse videtur ; collum columbae soli obiectum variis coloribus , qui tamen absunt , pingi ; iris post pluviam in nubibus descripta ex illusione conspicitur. Ergo etc.

Resp. *Dist. Ant.* sensus circa obiectum suum saepe falluntur cum adsunt conditiones ad illud rite attingendum necessariae, *nego*; cum hae absunt, ac proinde causa subest, cur obiecti apparentia immutetur, *Subd.* falluntur improprie, *conc.* proprie, *nego.* Ut adnotavimus , tunc omnis cavetur error in sensibus ; cum, detractis impedimentis , obiectum rite proponitur. Quare si hoc ratione non idonea ad leges , quibus natura sensilem perceptionem adstrinxit, offeratur : consequens est ut sensus illud non rite percipiat ; idque ex ipsa structura sensuum ac indole derivatur. Sic ut ad exempla quae obiiciebantur deveniam , turris quadrata , si magna sit , eminus prospecta rotunda videtur, propterea quod lux illinc ad oculos reflexa per nimium intervallum debilitatur. Quocirca etsi extrema obiecti puncta magis spectatori distantia esse , quam punctum medium , videantur , propter remissiorem lucem illinc emissam : tamen intensio radiorum qui interiacent , ob nimiam , ut dixi , distantiam , gradatim quidem decrescens apparet , at non ea diversitate , quemadmodum anguli aspectus flagitaret. Atque ideo languescens lumen puncta diversa obiecti iugi decremento remotiora a puncto medio repraesentat, quod curvae conspectus est proprium. Remus vero aqua mersus apparet fractus, quia radii lucis ex medio densiori in rarius exeuntes, aut vicissim ex hoc in illud penetrantes, refranguntur , adeoque pars remi in aqua latens inflexa, et diverso, quam est, situ apparere visui debet. Colores demum apparentes iridis aut colli columbae non errore sensuum ,. sed ex lucis *varia* pro varietate corporum *modificatione* resultant, quemadmodum fuse videndum erit in physica. Quare sensus criminandi non sunt; nos enim reapse non fallunt, sed obiectum ita percipiunt, sicut in talibus circumstantiis percipiendum fuit. Error vero, si quando adest , intellectui tribuendus est vitio, qui imprudenter, rerum adiunctis haud rite perpensis , ad iudicandum forte procedit. Qua in re praeclare

Augustinus (1) » Ago si dicat Epicureus quispiam, nihil habeo quod de sensibus conquerar. Iniustum est enim ab eis exigere plus quam possunt; quicquid autem possunt videre oculi verum vident. Ergone verum est quod de remo in aqua vident? Prorsus verum. Nam causa existente quare ita videretur, si demersus unda remus rectus appareret, magis oculos meos falsae renunciationis arguerem. Non enim viderent quod talibus existentibus causis videndum fuit. Quid multis opus est? Hoc de turrium motu, hoc de pinnulis avium, hoc de ceteris innumerabilibus dici potest. Ego tamen fallor si assentiar, ait quispiam. Noli plus assentiri quam ut ita tibi apparere persuadeas, et nulla deceptio erit. Non enim video quomodo refellat Academicus eum qui dicit hoc mihi candidum videri scio, hoc auditum meum delectare scio, hoc mihi iucunde olere scio, hoc mihi sapere dulciter scio, hoc mihi esse frigidum scio » etc. (2)

Obiic. III. Sensus referunt in corporibus adesse colorem, saporem, odorem, etc: quae tamen illis non insunt; nam quidquid ad sensationem pertinet in sentiente est duntaxat; color autem etc. sensationem spectant. Ergo sensuum relatio fallax est.

Resp. Haec difficultas, quam nonnulli tanti faciunt, tota quanta est puerili nititur aequivocatione. Sensus enim non ipsam sensationem coloris etc. obiectis inesse testantur, sed sensationis obiectum quod illam in nobis excitat. Ad rem Buffier, cuius verba in logica, haec ferme sunt » Miratus sum saepenumero Cartesium et Malebranchium, cum asseclis, ut ratum statuisse propriae philosophiae adinventum, colorem, calorem etc: in nobismetipsis residere, et nullimode in igne. At terminus color duo exprimit, quae habent quidem ad invicem aliquam proportionem, sed simul maxime distant; primo nempe sensu calorem, quem in nobis experimur; secundo proprietatem, quae est in igne ad producendum sensum caloris. Sed erat ne tanti momenti res, ut eam traducere recentes philosophi voluerunt? Fuit ne unquam hac de re proprie dictus error in mundo? Quis unquam adeo rudis aut stipes fuit, ut in igne sensum caloris ut est in nobis inveniri iudicaret? » Sed clarius fortasse et distinctius rem hanc exponit Reid (3) inquiens » Rudis ait: ignis est calidus, nix frigida, saccha-

(1) Contra Acad: l. 3. c. 10. et 11. §. 26.

(2) Hunc Augustini locum laudans Pallavicinus inquit » In somma dice S. Agostino potersi rispondere che il senso altro non riferisce se non che v' ha un oggetto il quale muove in lui tale apparenza, e tutto ciò è verissimo, L' intelletto poi aggiungendovi talora di suo ne fa pullulare conseguenze erronee, ed al solito de' padroni, che gettano la colpa dei loro errori sopra i ministri, accusa il senso del proprio fallo (Del Bene l. 2. c. 27).

(3) Le vulgaire dit: le feu est chaud, la neige est froide, le sucre est doux; nos sens l' attestent, et le nier est une absurdité. Les philosophes disent: le chaud, le froid, le doux, ne sont que des sensations en

rum dulce ; id nostri testantur sensus et inficiari absurdum est. Philosophi dicunt : calor , frigus , dulcedo non sunt nisi sensationes in nobis ; eas in igne , in nive , in saccharo inesse statuere absurdum est. Contradictio magis est apparens quam realis: progignit illam abusus vocabuli ex parte philosophorum , et confusio idearum ex parte vulgi. Cum inquit philosophus nil esse caloris in igne, quid ipso intelligit ? Ignem caloris sensatione destitui. Nae is vera loquitur , seque si explicaverit , vulgus non dissentiet. Verum ipse se perperam exprimit ; reapse enim in igne inest qualitas , quae calor nominatur : atque tum philosophi tum vulgus eo nomine multo saepius qualitatem , quam sensationem significant. Eamdem igitur vocem aliter philosophi proferunt, aliter vulgus interpretatur.

ARTICULUS SEXTUS

De humano testimonio in factis historicis.

51. Plura, quae vel locorum dissociatio vel temporum lapsus nobis absentia facit, scire aliunde non possumus , nisi ex aliorum hominum testimonio. De hoc in praesens dicemus breviter, ipsumque in vitae usu ceu veri normam esse habendum , in certisque rerum adiunctis plenam parere certitudinem mox statuemus. Sed ante claritatis gratia pauca , quae huc faciunt , explicanda sunt.

Testis is dicitur qui aliquid tanquam a se cognitum alteri quocumque signo manifestat: et esse potest vel *oculatus*, si rem propriis oculis usurpavit ; vel *auritus* , si ex aliorum excepit narratione. Actio vero, qua factum testatur, *testificatio* vel *testimonium* nominatur. Vis denique quam testimonium habet seu ipsum testimonium , prout vi praeditum est nos movendi ad assensum rei assertae, *auctoritas* audit, quae, uti patet, divina esse potest vel humana, prout Deus vel homo est qui testatur. Porro cum testimonium nequeat ad assensum impellere , nisi testis sit eiusmodi , ut scientiam certam habeat rei , quam enarrat , et verax in dicendo sit , ex scientia et veracitate testis auctoritas , quam eius testimonium habet , constituitur. Iam assensus , quem ob auctori-

nous; supposer que ces sensations sont dans le feu , dans la neige , dans le sucre, c'est une absurdité. La contradiction est plus apparente que réelle : elle vient d'un abus de mot de la part des philosophes, et d'une confusion d'idées de la parte du vulgaire. Quand le philosophe dit qu'il n'y a point de chaleur dans le feu, qu'est-ce qu'il entend ? que le feu n'éprouve pas la sensation de chaleur ; il a raison , et s'il prend la peine de l'expliquer , le vulgaire sera de son avis ; mais il s'exprime mal , car il y a réellement dans le feu une qualité qu'on appelle *chaleur* , et les philosophes et le vulgaire designent beaucoup plus souvent par ce nom la qualité que la sensation. Les philosophes prennent donc le terme dans un sens et le vulgaire l'entend dans un autre etc. (Essais sur les facult. intell. de l'homme Essai 2. ch. 17. Oeuv. t. 3. Ex vers. Thomae Iouffroy.)

tatem testantis rei assertae adhibemus, *Fides* dicitur, quae definiri posset: assensus vel credulitas, qua tenemus vera esse, quae dicuntur, propter dicentis auctoritatem. Hic assensus esse potest vel tantum probabilis, vel etiam certus, prout dubium omne excludit, vel aliquod relinquit. Sed certitudo eiusmodi, cum de humana agitur auctoritate, (1) non est nisi moralis; quippe cum non in absoluta rei necessitate, sed in legibus, quibus mores hominum diriguntur, innitatur. Qua in re animadverte: certitudinem moralem quandoque strictiori, quandoque latiori significatione usurpari. Cum prima sumitur, tunc reapse talem firmitatem sonat, quae nullum dubitandi relinquit arbitrium: cum vero altera, nonnisi gravem admodum probabilitatem significat, ac talem, quae ad rectam prudentemque operationem loco certitudinis haberi possit. Insuper auctoritas humana versari potest vel circa *dogmata*, vel circa *facta*, prout vel veritatem ad scientiam pertinentem, vel eventum testatur aliquem.

52. His antea notatis, ad propositum veniamus. Principio itaque dicimus in re dogmatica testimonium sapientum, et in arte peritorum pro rudibus normam esse, cui omnino acquiescendum sit; pro doctis vero et eruditis, etsi suum habeat pondus, tamen rationi concedere. Utraque pars assertionis prudenti cuilibet oppido liquet. Nam ad primam quod attinet, cum rudes veritatem, de qua sermo, parum perspicere plerumque valeant, nec ad rationis calculum vim argumentorum exigere; ni certitudine illius destitui velint, reliquum est ut in auctoritate fide dignorum (de quorum scientia, ac veriloquio dubitare prudenter non possint) conquiescant. Hinc ortum est illud iam tritum sermone proverbium: *peritis in arte credendum est.* Altera vero pars non minus apparet: quandoquidem docti homines in disciplinis non fidem quaerunt, sed scientiam, quae non auctoritate nititur, sed rationum momentis. Contra, utpote in rerum speculatione versati, idonei sunt prorsus ad argumenta, quae pro veritate illa militant perpendenda. Haec igitur prudenter exquirere possunt et debent; nec pecudum ritu duci, aut sine causa in alterius iurare verba. Apposite huc Augustinus (2) » Ad discendum dupliciter ducimur: auctoritate, ac ratione: tempore auctoritas, re autem ratio prior est. Aliud est enim quod in agendo anteponitur: aliud quod in appetendo aestimatur. Itaque quamquam bonorum auctoritas imperitae multitudini videatur esse salubrior: ratio vero aptior eruditis ».

53. Secundo, in *re facti* assero auctoritatem generatim inspectam, etsi plena non sit, haberi oportere ut normam approbatione dignam, quamque in iudicando (ubi ratio interna haberi nequit) ac

(1) De humano id diximus testimonio, quia testimonium Dei, ut alias monuimus, metaphysicam certitudinem gignit, propterea quod eius scientia et veriloquium, utpote non legibus moralibus, sed omnimoda oppositi repugnantia fundatum, metaphysice nobis constat.

(2) Lib. 2. de ordine c. 3.

operando sequamur. Nam illud tale censendum est quod plerumque non fallit, et natura sua necessarium est ut hominum vita coniunctioque servetur. Atqui eiusmodi est auctoritas: nam quod testimonium fidem merentium, etsi ad plenam auctoritatem non assurgat, plerumque non fallat, experientia in primis persuadetur. Conscientia enim cuique patefacit, ipsum ad vera adduci testanda, ac saltem saepenumero vera testari; sensus autem admonent res quamplurimas, cum nobis deinceps praesentes factae sunt, relationi, quam antea ab aliis hominibus acceperamus, respondisse adamussim. Cui experientiae accedit ratio, quae auctoritati fidem deberi, ex ipsis legibus, quibus mores hominum continentur, elicit. Hae autem in duobus sunt positae: 1.m est: *homo natura sua verum scrutatur et amplectitur*; nihil enim animis nostris tam innatum est, atque insitum, quam veri cupiditas. Ad rem Tullius (1) » omnes trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus: labi autem, errare, nescire, decipi, et malum et turpe ducimus » Quare quo prudentior diligentiorque sit testis, hoc remotior erroris ac deceptionis fit metus. 2.m est: *homo nonnisi boni cuiusdam amore ad appetendum et operandum impellitur.* Hinc existit, ut mendacium, quod non per se bonum et appetendum, sed turpe potius ac indecorum est, non possit allicere hominem nisi specie aliqua utilitatis; quae ubi deerit, omnis mentiendi removetur suspicio; ut enim fert proverbium: *nemo gratis est malus.* Praesertim vero fraus nulla erit pertimescenda, cum de fugi et constanti viro sermo est, qui non turpi utilitate, sed honestatis legibus permovetur. Similiter ex hac morali lege consequitur, ut si quando mendacium damno potius mentienti futurum sit, aut eiusmodi, ut facile detegi plectique possit, nunquam homo, dum haec cogitat, ad mentiendum adducatur. His itaque praeiactis, cum nos, etiam in auctoritate non plena, coniicere evidenter possimus, utrum testis ea prudentia instructus sit; quae periculum errandi admodum probabili ratione removeat, eaque probitate vel saltem circumstantiis, quae mentiendi seiungant causam; ni intoleranda animi levitate peccemus, auctoritati fidem habeamus oportet. Quod vero haec necessaria sit ad vitae usuram, nil manifestius. Nisi enim testantibus fideremus, nec cibos capere, nec vias incedere, nec amicorum consortio uti, nec parentibus honorem impendere, imo nec sermonem cum aliis conferre possemus; atque ideo omnis civilis cultus, omne foedus, omnis vitae consuetudo nobis adimeretur. Quamobrem sapienter Aug. (2) asseruit: totam hominum vitam naturaliter in fide fundari; et subinde (3): etsi auctoritate decipi miserum sit, longe tamen miserius non commoveri.

54. At (idque tertio assertum sit) quaedam contingunt rerum

(1) De Officiis l. 1. c. 6.
(2) De Utilit. credendi c. 12.
(3) Ibid. c. 16.

adiuncta, in quibus auctoritas plena omnique maior evadit exceptione, ac proinde veram certitudinem omne prudens excludentem dubium suppeditat. Hoc ex legibus moralibus, quas proxime commemoravimus, fluit aperte. Nam ex *prima lege*, ut dixi, homo natura sua ad verum impellitur cognoscendum, a quo non deficit nisi *per accidens*. Si igitur aliquando constet nullum interfuisse impedimentum, quod errandi occasionem exhibuisset: certa erit testium scientia. At vero id constare reapse aliquando potest. Cum enim de facto agitur simplici, et perspicuo, quod multorum attentionem excitet, atque a plerisque narretur prudentibus et diligentibus tempore potissimum, quo alii, quorum interesat, refellere eos potuissent: error timeri nequit; sensus siquidem non sunt fallaces, ac si quando decipiuntur, id ex aliquo impedimento contingit, quod aliquando in uno vel altero, nunquam vero in omnibus accidit. Quod enim commune est, naturae tribuitur. Constare igitur potest de certa testium scientia. At non minus constare poterit de veriloquio. Nam per *secundam legem* homo nonnisi boni amore impellitur. Ergo cum testes in mentiendo conveniunt, hoc aliqua utilitatis illecti spe faciunt. Atqui id quandoque impossibile est; quandoquidem si forte testes natione, aetate, studiis, moribus differunt; certe tunc nequeunt eadem impelli cupiditate ad mendacium. In tanta enim adiunctorum varietate, non potest eadem utilitas oriri ex fraude una, quae imo, si uni proderit, aliis fortasse nocebit, Huc adde quod si testes rem confirment apud eos, quorum intersit mendacium detegere,. quique facile hoc possint, sumptis etiam de mentiente poenis: impossibile iterum mendacium fore conspicitur. Homo enim non mentitur, nisi ut audientibus illudat ac falsum pro vero tradat; quod in talibus adiunctis fieri non posse cognoscit. Denique si facti enarratio sit eiusmodi, quae non commoda et honores testi afferat, sed nocumenta potius, iacturam bonorum, dedecus, infamiam, mortem etiam, tum longe certius notescere oportet, testes ad factum enarrandum nulla turpi cupiditate moveri. Animadverti igitur evidenter potest, nullam quandoque testibus adesse causam mentiendi. Ergo nisi effectum sine causa progigni posse putemus, mendacium tunc excludi penitus fatendum est. Constare igitur aliquando potest de testium veriloquio. Atqui ex testium scientia et veriloquio auctoritatis vis coalescit: Ergo haec quandoque esse potest eiusmodi, ut ad plenam faciendam fidem, gignendamque valeat veri nominis certitudinem.

55. Verumtamen ut hac dote polleat auctoritas, conditiones quaedam necessariae sunt, quemadmodum ex ipsa demonstratione quam fecimus, patet; quae tamen non omnes ubique et semper, sed aliquae pro rei opportunitate et usu iudicio prudentum exquiruntur Has brevitatis gratia ad tres reduco: I. *Factum sit eiusmodi ut testibus innotescere potuerit facile*. Id fiet primo si *possibile* fuerit non solum in se, quatenus repugnantia non laboraverit, sed etiam quoad adiuncta quae ipsum necessario comitantur: deinde si fuerit *illustre*; nimirum non modo sensibus obnoxium, verum etiam

tale quod attentionem et diligentiam excitarit contuentium II. *Testes communiter sint plures.* Nam illa cupiditatum pugna, ex qua conspiratio in mendacium evidenter reiicitur, haberi non potest, nisi in diversis hominibus, qui sicut individuas differentias sibi vindicant, peculiarem habitum, incessum, lineamenta, vocem; ita proprias pro singulorum conditione appetitiones habent. Dixi *communiter*, quia accidere aliquando potest, ut unus testis plenam faciat fidem, si singularem iustitiam prudentiae coniungat praecellenti, aut rem coram iis enarraverit qui eventui interfuere, et quorum maxime intererat mendacium coarguere. Tunc enim testis specie tenus unus videtur, re vera tamen est multiplex: tot nimirum coalescens, quot factum habuere perspectum, nec obstitere narranti. III. *Evidenter appareat, testes nec partium studio, nec communi aliqua utilitate permoveri potuisse.* Id patebit si conditiones et studia singulorum diversa erunt, sique praesertim res testibus obfutura sit potius.

56. Quae pro auctoritate in factis sensibilibus generatim ostendimus, applicari etiam debent separatim traditioni orali et historiae. Est porro *oralis traditio* testium continuata successio, rem non scriptis sed ore transmittentium. Haec si characteres habeat ad auctoritatem plenam necessarios, indubiam pariet fidem propter argumentum idem, quod supra dixi: quia tunc illius causa testimonii nec error nec conspiratio in mendacium, sed facti duntaxat veritas esse debet. Tamen ut robur habeat, primum ne sit *interrupta* requiritur, sed ita ut gradatim ab ultima linea traditionis ascendere possimus ad ipsum initium, in testibus facto coaevis et oculatis situm. Deinde necesse est ut sit *ampla*, plures nimirum testes amplectens. Quod si monumenta etiam publica aut institutae caeremoniae aut alia id genus in facti memoriam accedant; mirum in modum vis traditionis augescit. Idem plane, ut quisque optime perspicit, dicendum erit de historia, seu enarratione factorum scriptis commendata. Quae ut certam faciat fidem, auctores aut eventui coaevos, aut qui a constanti amplaque traditione rem exceperint, praeseferre debet, nec ab aliis fidem merentibus impugnari. Argumentum tamen negativum, ut aiunt, seu a silentio aliorum historicorum, etiam qui facto coaevi fuerint, depromptum, ad historiae elevandam fidem vim nullam habet; nisi evidenter ostendatur I. historicos, qui rem praeteriere, facti habuisse notitiam; II. illius enarrationem scopo, quem sibi praefixerant, iudicasse necessariam, nec ullam vidisse causam qua ad reticendum impellerentur. Horum si quid desit, posteriores historici (modo conditionibus quae errorem et mendacium excludant instruantur) fidem certam faciunt, quippe qui, prioribus nil enarrantibus, rem tamen potuere ab orali, quae indubia sit, traditione suscipere.

57. At enim obiic. I. Nullum etsi plurium testimonium suppeditare potest veri nominis certitudinem; ergo falsa thesis. *Pr. Ant.* quilibet homo natura sua fallibilis est; ergo etiam plurium collectio; quod enim convenit partibus, convenit etiam toti. Atqui testimonium collectionis fallibilis certitudinem non praestat; ergo etc.

Resp. *Neg.* 1.m *Ant.* Ad *prob. Tr. Ant. Dist. Cons.* ergo etiam collectio plurium fallibilis est fallibilitate non reducenda ad actum, si auctoritas plena est, *conc.*; reducenda ad actum, *nego.* Ad *alteram prob.m dist.* quod convenit partibus convenit etiam toti, cum sermo est de perfectione aliqua, *trans.*; cum de defectu, *subd.* quod convenit partibus simul sumptis, sub quo respectu idem sunt ac totum, convenit etiam toti, *conc.*; quod convenit partibus seorsum acceptis, iterum *dist*: si collectio nihil confert ad defectum impediendum, *conc.*; si confert, *nego.* Ad *min.* etiam *dist.* testimonium collectionis fallibilis non dat certitudinem, si sit talis fallibilitate quae pro rei adiunctis ad actum reduci possit, *conc.*; secus *nego.* Responsum ex iis, quae explanata sunt in thesi, oppido liquet.

Instabis: Atqui collectio in casu nil confert ad impediendum defectum. Pr. assumptum: Quod naturale est, per nihil eximi potest; atqui fallibilitas homini est naturalis. Ergo per collectionem eximi nequit.

Resp. In primis posse argumentum in adversarios ipsos retorqueri. Eo enim permulta (si reapse valeret) probari possent, quae certe nec ipsi concedunt. Sic ex. gr. eadem ratiocinatione ostenderetur etiam, beatos in caelo (quod absurdum est) peccato esse obnoxios; siquidem capacitas peccandi naturalis est homini, quod autem naturale est eximi nequit. At ut *directe* respondeamus, *conc. maior. probationis*, at ad *min. dist:* fallibilitas abstracta et remota, quae ratione circumstantiarum impediri potest quominus in actum prodeat, naturalis est homini, *conc.*; fallibilitas, quae actu fallat, quaeque non unquam, ne in actum exeat impeditur, *nego.* Capacitas deficiendi homini naturalis in hoc consistit, ut, nisi certa caveantur impedimenta, deficere homo possit. Proinde conditionem habet, quae tolli potest; et in plena auctoritate reapse tollitur actualis causa defectus, quae alia esse non posset, nisi aut testantium illusio, aut mentiendi voluntas, quae duo in auctoritate plena penitus removentur.

Obiic. II. In testium multitudine non invenitur nisi individuorum collectio. Ergo ad fidem faciendam non adest nisi auctoritas cuiusque individui collectim sumpta. Sed auctoritas singulorum individuorum non praebet nisi probabilitatem. Ergo in multitudine non invenitur nisi summa probabilitatum, ex qua profecto certitudo emergere nulla potest.

Resp. *Neg.* 1.m *Ant.* vel si lubet *Dist.* in testium multitudine non invenitur nisi individuorum collectio, et insuper ea rerum adiuncta quae deceptionem et conspirationem in mendacium, seu deficiendi causas vetant, *conc.*; secus, *nego.* Similiter *dist. Cons.* ergo ibi non adest nisi auctoritas cuiusque individui ab actu deficiendi libera, *conc.*; eo implexa, *nego.* Ad subsumptam propos.m iterum *dist*: auctoritas cuiusque individui non praebet nisi probabilitatem, cum certo constat eam ab errore et mendacio immunem esse, *nego*; cum id non constat, *concedo.* In tantum auctoritas singulorum seorsum accepta communiter probabilitate duntaxat fruitur, in quantum plerumque constare non potest, ab uno homine errorem et mentiendi voluntatem abfuisse. At hoc optime constat cum individua

simul conveniunt, propter rationes in thesi propositas. Quocirca eorum testimonium non est summa probabilitatum, sed tunc esset, si individua collectim sumpta retinerent errandi et mentiendi capacitatem, quam separatim habebant. Verum id per collectionem idoneis instructam notis, removeri, satis dilucide constabilitum est.

Obiic. III. Auctoritatis robur generationum successu, volventibus annis, sensim imminuitur. Ergo saltem ad antiquissima gesta testanda aut nullam aut fere nullam vim habet auctoritas.

Resp. *Neg. Ant.* Nam mutatione temporum vis auctoritatis non immutatur. Quapropter, modo non interrumpatur fidelis transmissio facti, seriesque testium fide dignorum; non minus pondus habet remotissima rei enarratio, quam habuerat proxima. Idem enim motivum assentiendi iugiter perseverat. Sic non minori certitudine apud nos constat transacta Imperii Romani existentia, quam apud atavos, qui nos, quoad longissime fingi potest, praecesserunt. Imo, si vera loqui fas est, quae diuturnitate temporis inveteravit traditio, potius maiori robore augetur. Commenta enim delet dies; veritas unice temporis edacitatem superat. Accedit igitur aetatum lapsu hoc etiam argumentum in favorem rei enarratae; eiusque firmitas inde insuper augescit, quod tot viri prudentes ac critici, qui saeculis vertentibus deesse nequeunt, narrationis non evicerint falsitatem; quod nisi illi subesset veritas contigisse non potuit.

CAPUT TERTIUM

DE PHILOSOPHANDI PRINCIPIIS AC VERI DIIUDICANDI CRITERIIS.

Quatuor hic vestigabimus: 1.° demonstrationis principia, ac utrum philosopho a dubitatione universali exordiendum sit: 2.° Quaenam sint criteria veritatis: 3.° Quid de sensu naturae communi: 4.° Quid de scepticis qui omne veri criterium inficiantur sentiendum sit.

ARTICULUS PRIMUS

De demonstrationis principiis ac Cartesii dubitatione methodica.

58. Id, ex quo alterum procedere conspicimus, *principium* nominatur. Sic sol est principium lucis, Aurora diei. Principium igitur demonstrationis id erit, unde exorditur demonstratio; quod proinde definiri potest: propositio ex cuius veritate immediate vel mediate percepta aliae veritates rectae ratiocinationis ope ducuntur. Porro varia sunt principiorum genera; alia enim *prima* audiunt et *nota propter se*; alia vero *secundaria* et *demonstrationi* obnoxia. Itemque ex principiis primis alia sunt *communia*, seu quae a quolibet homine terminorum, quibus exprimuntur, significationem intelligente percipiuntur, ut: *totum est maius sua parte*; alia autem *propria*, seu quae nonnisi a peritis in ea scientia, ad quam perti-

nent, capiuntur, ex. g. *omnes anguli recti sunt aequales*. Denique principia a ia sunt *experimentalia*, seu inductione, aut experimento comperta, ut ex. g. *corpora sunt gravia*: alia sunt *rationalia*, seu quae per immediatam intuitionem idearum percipiuntur ut: *non datur effectus sine causa*. Haec facilia sunt captu, et ex iis, quae de intelligentia (1) diximus, satis eluceut. Verum quod magis interest sedulo considerandum est, atque uti ratum exploratumque habendum non posse nimirum quemquam philosophari, nisi principia aliqua demonstrationi non obnoxia, sed manifesta propter se, admittenda esse decernat. Secus effectum quaereret sine causa: quo nihil absurdius fingi potest. Et sane, scientia in quam per philosophiae studium adpitimur, cognitione certa et evidenti constat ex praemissis aliquibus derivata, quae idcirco tanquam illius causae considerari iure debent. Quapropter si omnia in philosophia demonstrari oporteret; omnia certe rationem haberent effectus, atque adeo causam sui postularent. In ordine igitur scientiarum singula serie quadam indigesta effectuum continerentur, quorum nulla excogitari posset causa. Quam ratiocinationem luculentissimam, maioris explicationis gratia, sic contra adversarium urgebis. Fac, sis, principia etiam in philosophando demonstrationi esse obnoxia. Iam sciscitor a te, per quam aliam veritatem demonstrationem istiusmodi auspicabere? Num ne per eam, quae aeque ac aliae, ut certa habeatur, demonstrari postulat? Verum praemissa istaec et ipsa etiam effectus est quae idcirco necessitatem causae non demit sed adauget. Sic igitur coarctamur, ut nisi effectum sine causa progigni posse arbitremur, principia aliqua in scientiis reperiri fateamur, quae demonstrari non exigant, sed suapte luce se intellectui patefaciant; sintque veluti immobile quidpiam, quod aliunde moveri non postulat, sed movendi vi insita praeditum, ceteris, quae illa carent, impetum et motionem imprimat (2).

(1) Cap. 2. art. 3.

(2) Animadvertit id ipsum praeclare Galluppius, qui proinde sic ait: Il sig. Villers scrive: la filosofia può porre dei principi che essa dimostra, o tiene per certi senza dimostrazione, e su de' quali essa innalza un sistema che da per un corpo di dottrina solida e provata: in questo caso il procedimento della filosofia è *dommatico*. O essa rigetta la certezza de' principi, svela la loro insufficienza, e senza andare più lungi rimane nello stato di sospensione, di dubbio, e di diffidenza, ed il suo procedimento è scettico. O finalmente dopo di aver accompagnato lo scetticismo sino al punto in cui esso riconosce l' illusione de' sistemi e l' insufficienza di ciò che il dommatico da per principi; essa non si arresta all' inattività del dubbio; ma va più lungi e ricerca come nascono i sistemi illusori, perchè i principi del dommatismo sono insufficienti. Per questo effetto esamini con rigore l' intendimento umano, si liberi all' analisi la più profonda della facoltà di conoscere dell' uomo: facoltà in cui nascono i sistemi ed i principi. Essa rimonti così alla formazione di ogni conoscenza, ed il suo procedimento in quest' ultimo caso si nomina *critico*. Sino a Kant non si è filosofato che secondo i due primi modi. Ogni filosofia era stata dommatica o scettica.

Praeterea assertum hoc verissimum exinde etiam potest confirmari, quod secus, si omnia prorsus in scientiis demonstranda essent; mens humana, dum cognitionem sibi evidentem comparat, progressum quemdam percurreret limite carentem, ac initio, unde ad proficiscendum inciperet, destitutum. Nam si praemissa quaelibet, unde evidens eruitur conclusio, ulterius demonstrari debet; aliae exiguntur praemissae, ex quibus mens illam derivaverit; et hae iterum, cum in hypothesi egeant demonstrari, novas praemissas postulant, et ita porro sine fine, quin unquam ad primam aliquam veritatem per se notam, unde exordium progrediendi mens fecerit, deveniatur. Quare aut cognitio omnis evidens et certa de medio est repellenda; aut si demonstratio ulla viget ac scientia, admittenda sunt necessario aliqua prima principia in ordine cognitionis, quae innata fulgeant luce, eamque ab aliis non mutuentur, sed potius impertiant: eo ferme pacto quod, si adsunt corpora illuminata, adesse quoque debent corpora quae sint lucida propter se. Quapropter harum veritatum non demostratio, sed terminorum duntaxat petenda explicatio est; tum difficultates, quae forte oggerantur, modo adversarius aliquid certum ratumque tribuat, solvendae erunt. Ad rem Aristoteles (1) ὀυ δεῖ ἐν ταῖς ἐπιςημονίκαις ἄρχαις ὀπιζητεῖσθαι ὅτι διά τι· ἀλλ᾽ ἑκαςὴν τῶν αρχῶν ἀυτὴν καθ᾽ ἑαυτὴν εἶναι πιςήν. (2). Nec vero inepte suspicandum est: principiis his per se notis caece et sine ratione nos assentiri. Nam

Egli può essere riguardato come l'inventore della filosofia critica. Quibus merito Galluppius addit: se la filosofia scettica è assurda, la filosofia critica lo è maggiormente; poichè essa pretende di unire insieme l'ignoranza assoluta delle cose colla scienza della nostra facoltà di conoscere. Ogni filosofia è essenzialmente dommatica, e non può essere che dommatica. (*Lez.* di Log. e Met. t. 1. lez. ultima.)

(1) Top. l. c. 1.

(2) Hinc sapienter etiam Pallavicinus » In quella guisa però, che gli Scettici concedon per evidente. *Io sento dolore*: *Io ho la tale apparenza nell'animo*, benchè di questa loro evidenza non rendano altra ragione, se non che sentonsi determinati a creder così; nella stessa maniera succede in tutte le verità per se manifeste. Perchè credo io che *ogni cosa o è, o non è*? Perchè credo, che il *tutto è maggior della parte*? So mi domandi *perchè* in ragione di motivo, e d'argomento, che ciò mi pruovi, non v'ha *perchè*, essendo queste verità note per se medesime. Se il tuo *perchè* richiede solo qual si sia cagione, da cui prende l'esser mio il mio atto di credere. Rispondo: perchè la Natura ha determinato l'Intelletto umano alla credenza di tali oggetti. O potrebbe la Natura averne ingannati in ciò? Ella pure ci ha determinati a non sospettar d'inganno mentre credi, che senti dolore o diletto. Quindi saggiamente Galeno riprese gli Scettici, e gli Academici insieme con dire, che negando essi la certezza d'ogni credenza, ripugnavano alla Natura. Non ho io dunque obbligo alcuno di provar la verità di queste proposizioni; nè parimente di tutte l'altre, alle quali ogni uomo dopo attenta considerazione de' termini, è determinato di consentirо. Ma solo mi convien disciorre qualche obiezione che della loro falsità volesse convincermi. (Del Bene l. 2. c. 24).

veritatibus, istiusmodi etsi desit demonstratio, adest tamen motivum assensus stabilius fortasse vel saltem aeque stabile ac demonstratio. Motivum huiusmodi est immediata obiecti evidentia, seu rei evidens intuitio. Ex quo elucet talem assensum non esse caecam quamdam fidem sed perspicientiam lucidissimam, quae per se fulget, atque alia obiecta illuminare potis est. Deinde ita mens hisce principiis sine demonstratione assentitur, ut in tali assensu omnino conquiescat; quippe quae nullam ibi demonstrationis necessitatem contuetur, imo eam pro tali obiecto ineptam et absurdam videt. Egregie enim D. Thomas (1) » Proprium est, *inquit*, horum principiorum, quod non solum necesse sit ea per se vera esse, sed etiam necesse est videri quod sint per se vera. Nullus enim potest per se opinari contraria eorum.

59. Hinc emergit, vehementer etiam errare Thomam Iouffroy, qui principium et fontem certitudinis humanae in actu fidei caecae reponit, quem naturali veritati facultatum nostrarum adhibeamus (2). Verum si cognoscendi exordium non evidentia sed caeca quadam fide constaret; nulla certe cognitio posterior, quae illinc eruitur, evidenter eluceret: quandoquidem nulla perfectio in processu scientiae reperiri potest, qua careat principium, unde illa derivatur. Atque ita evidens rerum notitia a mente humana exulabit, omniaque ad caligantem quandam fidem testimonio naturae habitam reducentur. Quod dogma perniciem scientiis non levem afferens ex Reidianae scholae placitis, ac recenti Gallico ecletismo revera promanat. Id itaque reiicientes observamus in primis primum sciendi actum circa veracitatem facultatum nostrarum explicite versari non oportere: sed sufficere ut principium aliquod per se notum, ex quo in aliorum notitiam deveniri possit, contempletur. Certitudo enim veracitatis nostrarum facultatum reliquis cognitionibus latet implicita. Deinde etiamsi hanc notitiam explicitam praeire oporteret; ea tamen non actus caecae fidei sed evidens intuitio dicenda esset. Cognoscendi enim facultates per se non falli, principium quoddam est per se notum, quod terminos consideranti evidenter patet. Si enim contrarium fingitur; in apertam conceptuum pugnam fit lapsus, ipsaque cognoscitivae facultatis notio oblitteratur.

60. Ex his, quae de principiis per se notis et evidentibus explanata sunt, perspicuum quoque redditur quid sentiendum sit de dubio, quod methodicum appellant. Ponitur hoc in temporanea quadam veritatum omnium dubitatione, ex qua continuo in earumdem certitudinem fiat reditus. Methodum hanc invexit Carthesius (3) qui ad aedificium philosophiae in nobis, semotis erroribus, excitandum, nil satius conferre putavit, quam si semel in vita de omnibus omni-

(1) In 1. Poster. lect. 16.

(2) Cours de droit natur. t. 1. leçon 9. ubi sic inquit » Le principe de toute certitude et de toute croyance est d'abord un acte de foi aveugle en la veracité naturelle de nos facultés.

(3) Vid. Principiorum Philosophiae primae partis initio.

n» ad tempus dubitetur non modo iis, quae sensus et memoria suppeditant, verum etiam iis, quae intelligentia et ratio praebet; quaeque aut prima audiunt principia, aut ratiocinii illationes sunt, etiamsi mathematica fulgeant evidentia. Interea homo per conscientiam se dubitare seu, quod idem est, cogitare animadvertit, simulque perspicit non posse qui cogitat non existere. Hinc ventum erit ad inconcussum illud : *cogito*, *ergo sum* ; ex quo quasi ex semine foecundissimo, omnis certitudinis seges educatur. Nam inspectione deinceps idearum clarissimarum distinctarumque, quas conscientia suppeditat, in Dei existentis et veracis notitiam devenitur, ex quo veracitas ceterarum facultatum, quas ad cognoscendum recepimus, derivatur. Hic in pauca collatus totus est Cartesii progressus. Verum, ut liquido fatear, einsmodi philosophandi ratio cordato nemini probanda videtur. Principio enim etsi universalis ista dubitatio sine absurditate posset induci ; tamen inepta esset et philosopho plane non digna. Nam quamvis moderatum et prudens dubium de rebus iis, quae immediate non innotescunt, utile sit ante institutam demonstrationem, imo scientiae necessarium : tamen nullius utilitatis est dubitare de iis, quae perspicuitate propria, et quidem ineluctabili menti perlucent; quaeque non modo vera sunt, sed etiam necesse est ut vera appareant sponte sua. Deinde absurdum est nimis ac sibi nil consentiens quod, dum conscientiae testimonio fidatur, de ceteris cognoscendi facultatibus dubitetur : cum eadem reapse ratio pro omnibus militet, et eadem necessitate mentem ad assentiendum adigant. Audiatur hac super re Thomas Reid sic contra Cartesium sapienter disserens (1) « Mirum plane est Cartesium, qui ad conscientiae fidendum testimonio se adigi sentiebat, non sensisse simul, se ad fidem habendam sensibus,

(1) Il est étrange que Descartes, qui se sentait obligé de croire au témoignage de sa conscience, ne se sentit pas obligé de croire également au témoignage de ses sens, de sa mémoire et de sa raison, et qu' étant assuré qu' il raisonnait et doutait, il ne le fût pas que deux et trois font cinq, et que le sommeil est différent de la veille. Ce qui est plus étrange encore, c' est qu' un dialecticien si profond ne se soit pas aperçu que tout son raisonnement pour prouver que ses facultés pouvaient être trompeuses, n' était qu' un pur sophisme; car si ces facultés pouvaient être trompeuses, elles pouvaient le tromper dans ce raisonnement même et dans la conclusion à la quelle il arrivait, savoir qu' elles ne le sont pas. Cette conclusion n' est que le jugement de ces facultés mises en question sur elles mêmes, et par conséquent ne peut avoir aucune valeur. Il est difficile d' imaginer contre la véracité de nos autres facultés une objection qui n' atteigne pas également la conscience et quicoonque se méfie du jugement et de la raison que Dieu lui a donnés, est condamné à rester dans son scepticisme jusqu' à ce qu' il guérisse de cette folie ou que Dieu lui accorde de nouvelles facultés pour juger les anciennes. Si cette proposition, que nos facultés ne sont point trompeuses, n' est pas un premier principe, nous sommes jetés dans un scepticisme absolu et sans remède ; car ce principe ne saurait être prouvé et s' il est douteux, rien ne saurait être certain (Analyse de la log. d' Arist. essai 6. ch. 2. Oeuvres. t. I.)

memoriae, rationi similiter cogi; ac dum certus esset se ratiocinari et dubitare, non fuisse pariter certum duo addita tribus quinarium conflare aut somnum a vigilia esse distinctum. Magis vero etiam mirandum est, dialecticum adeo profundum non perspexisse, totum ratiocinium, quo suas facultates posse esse fallaces ostendit, nonnisi putissimo sophismate contineri. Etenim si hac facultates possent esse fallaces, nae ipsae possent eum fallere in hac ipsa ratiocinatione, et in illatione ad quam ille devenit, nimirum quod ipsae non sint eiusmodi. Haec illatio non est aliud, quam earumdem facultatum, quae in quaestione versantur, de se ipsis iudicium; quod proinde vim nullam habet. Contra nostrarum facultatum veracitatem difficilis est ad excogitandum difficultas, quae simul conscientiam ipsam non impetat: ac quisquis iudicio diffidit ac rationi, quae dono recepit a Deo, is in tali suo scepticismo cogitur permanere, donec de insania convalescat, aut novas facultates, quibus antiquas iudicet, sortiatur a Deo. Si istaec propositio: *facultates nostrae non sunt fallaces*, non in primorum principiorum habetur numero; in absolutum scepticismum et sine remedio delabemur. Principium enim huiusmodi demonstrari non posset, et si ipsum non est indubium, nihil posset esse certum ». Quam clarissimi viri sententiam verissimam puto. Nam qui in huius omnimodae dubitationis labyrinthum se semel detruserit, nullius Ariadnae filo illinc poterit extricari. Sed aut pugnantia inter se loqui cogetur aut in perpetuo mansurus est scepticismo. Dubium enim huiusmodi expelli aliter nequit, nisi multa non modo ad conscientiam, sed ad alias etiam facultates pertinentia, ceu inconcussa ac evidenter cognita praemittantur. Et sane qui circa alia obiecti examen aut ratiocinationem inchoare possumus, nisi vim comparandi, iudicandi, ratiocinandi etc. fallaces non esse pro certo iam antea habeamus? At dicet Cartesius id ex Dei veracitate deduci. Verum repono in primis id certe ratiocinando deduci. Ergo hoc ipso vis ratiocinii, principia quibus innititur, leges quas servat, omnia, haec firma rataque erunt praesupponenda. Deinde quonam modo ex Dei idea aliquid certi inferri poterit, nisi saltem intelligentia, quae Dei notionem exhibet, circa suum obiectum non decipi iam animo praestituatur? Quid plura? ipsa veracitas conscientiae, sine intelligentiae veracitate implicita, constare non potest. Nisi enim ceu indubium ponatur antea, non posse idem simul esse et non esse (quod principium intelligentiae obiectum est) iactatum illud inconcussum: *cogito*, *ergo sum*, profecto nutabit. Ergo qui semel in universalis dubitationis baratrum se coniecit, aut ibi perpetuo moraturus est, aut si illinc exitum parat, ea, quae negavit, iterum largiatur oportet. Quod palam fecit ipse Cartesius, qui dum e dubio universali in rerum certitudinem emergendi viam aggreditur, tot volens et prudens certa constituit, quae suum systema prorsus evertunt. Egregie id observat Royer-Collard (1) qui analysim Cartesiani progressus instituens omnes ve-

(1) Critique de Descartes, Fragment. Oeuv. Reid t. 3.

ritates, quas ille, veluti sui oblitus, tanquam indubiae ratiocinandi gratia vel sanxit, vel supposuit, ob oculos ponit. Quae, ne in longum abeam, referre omitto; qui volet, Collardium adeat.

61. Quae contra Cartesium disputata sunt, ostendunt etiam improbandos esse eos, qui conscientiam tantum propria niti evidentia, cetera vero cognoscendi media per conscientiam demonstrari opinantur. Cui sententiae assentiri non possumus. Conscientia enim ceterarum facultatum existentiam actionemque, neutiquam tamen infallibilitatem testatur: sed haec vel ut per se nota haberi debet, vel, si res postularet, aliunde probanda esset. Sic, exempli causa, patefacit conscientia me nunc obiectum aliquod oculis usurpare; ex quo testimonio certior fio mihi facultatem inesse obiecta quaedam a me diversa spectandi, atque in praesens eiusmodi actionem elicere. At utrum fallar necne, id conscientia non dictat, sed aliunde vi naturae ad sciendum determinor, eo quod sensus vires etiam cognoscendi sint; nulla autem facultas eiusmodi circa obiectum quod immediate pertingit, ni aliquid obstet, falli possit, aut locum dubitandi relinquere. Idem de intelligentia; idem de vi ratiocinandi dicatur. Cavendum est igitur sedulo, ne in sola conscientia conquiescentes, de aliis cognoscendi facultatibus demonstrationem veri nominis expctamus. Id enim si fieret, scepticismus iterum vitari non posset. Aut saltem in perfecto *Egoismo*, in sola *nostri nostrarumque affectionum* existentia constituto, iugiter erit permanendum.

ARTICULUS SECUNDUS.

De veritatis criterio

62. *Criterium*, de quo agimus, ut ex ipso nomine interpretari potest idem significat ac id, quo veritas iudicatur, seu verum a falso discernitur. Huc etiam fere recidunt omnes philosophorum definitiones, quibus veri criterium ita describunt, ut esse dicatur aut indicium et tessera veritatis, aut nota veri et falsi, aut ratio sufficiens, qua intelligatur cur praedicatum subiecto tribuendum sit, ab eove removendum, aut aliter, pro lubito rem huic nomini subiectam describunt. At quamvis philosophi vix in criterio veritatis definiendo discrepent; dissident tamen non parum, cum in quo reponendum, et quotuplex statuendum sit decernunt. Nam ut de veteribus simul ac recentioribus attingam aliquid, Plato in solis ideis intelligibilibus seu (ut ipse fingebat) communibus, aeternisque formis, ex quarum participatione singularia omnia in orbe existentia dimanarent, criterium quodlibet contineri arbitratus est. Epicurus, etiam in hoc sensibus blandiri volens, sensuum fidem; Stoici evidentem seu comprehensibilem apparentiam, καταληπτικὴν φαντασίαν, pro criterio habuere. Ut vero ad recentiores veniam, Cartesius ideam claram ac distinctam tanquam unicum criterium statuit: at Malebranchius eam evidentiam, quae intellectum ad assensum, voluntate etiam obnitente, raperet: Genuensis triplici evidentiae, intellectus,

sensuum, auctoritatis, duo alia superstruxit nimirum conscientiam, et sensum optimorum communem: Storchenau quatuor criteria admisit, sensum intimum, sensum naturae communem, testimonium sensuum externorum, auctoritatem denique Dei hominumque. Denique ne plura consecter, Leibnitius Logicae duntaxat regulas criterium veritatis esse voluit (1), ipsumque sequutus est Wolfius, qui postquam (2) propositionem sanxit: *ad verum a falso discernendum regulae Logicae sufficiunt:* hanc subnectit illationem : *non alio igitur criterio veritatis opus est.* Sic diversa diversos sententia distraxit! Nos, qui dissidentes animos, ubi fieri commode possit, componere optamus, hanc sapientum discrepantiam, si Platonem et Epicurum excipias, in verbis potius, quam re positam dicimus. Tamen quidquid de hac interpretatione sit, de qua non oportet nos esse sollicitos, quaestionem, dilucide fortassis, sic definiendam arbitramur. Id quo verum a falso discernimus, seu criterium, aut usurpari potest ad innuendum ipsa *cognoscendi media*, quibus notitiam verum nobis comparamus; vel *motivum* quo in assentiendo nitimur, atque obiecti sumus certiores. Si primo sensu accipitur quintuplicari optime poterit, atque in his collocari : *conscientia*, *intelligentia*, *vi ratiocinandi*, *sensibus externis*, *testimonio fide dignorum.* Patet hoc ex capite superiori, quo media, quibus ad certam rerum cognitionem capessendam a natura donati sumus, anquirentes, ea his quinque contineri perspeximus: de quibus ibidem satis fuse dictum est; nec quidquam aliud, quod hic addamus, exquiritur. Sin autem criterii nomen usurpatur ad significandum motivum, quo in veritatis vestigatione ad assentiendum impellimur; triplex statui posse videtur : *immediata evidentia*, *ratiocinium*, *auctoritas.* Nam in quavis veritate assequenda, semper ex his tribus unum ad se convertit et rapit assensum. Et sane, veritas, quaecunque ea sit, aut nobis se ipsa offert propriis sibique internis fulta momentis, aut secus sed ex aliorum testimonio colligenda est. Si hoc posterius acciderit; profecto motivum, quo ad certitudinem ducimur, aliud nullum est, nisi testantium auctoritas, seu vis illa, quae ad fidem rei faciendam ex eorumdem scientia ac veriloquio consurgit. Hoc igitur iure statuetur veritatis criterium pro obiectis iis, quae non ipsi speculatione nostra, sed aliorum attingimus relatione. Quod si veritas sit eiusmodi, quae ipsa nobis se manifestat; tunc videndum erit utrum id deductione fiat ex aliis iam notis, an quia veritas sponte sua nobis immediate notescat. Si deductione ex aliis; ea veritas pro criterio habebit ratiocinium; eo enim legitime instituto ad assensum tunc adducimur, in ipsoque sita est norma qua obiectum illud, verum sit necne, iudicamus. Sin autem ea veritas per se pateat; motivum assentiendi non erit aliud, nisi illius evidentia *in concreto* spectata, nimirum evidens rei perceptio. Haec autem vel ad conscientiam, vel ad intelligentiam vel ad sensum

(1) Medit. de cognit. ver. et ideis
(2) Philos. Ration. par. 2. sec. 1. c. §. 545.

pertinebit: prout obiecto aut nobis interno, aut externo quidem sed intellectuali, aut denique externo sed sensili contineatur. Rem totam exemplis illustremus. Quaeratur scilicet a te cur certus sis existere Londinum, animum esse immortalem, te nunc actu cogitare, tria ter addita aequare novem, caelum stellis ornari. Si vera loqui velis, repones profecto te idcirco Londini existentiam pro certo habere, quia tot testibus confirmatam vides, quos falli non posse aut fallere in hac re tibi perspicuum est; immortalitatem animi compertam ducere, quia ex certis principiis recta ratiocinatione id derivatur; tria ter addita aequare novem fateri, quia mens evidenter percipit identitatem inter duo illa aequationis membra; praesentis tuae cogitationis certiorem te esse, quia conscientia id evidenter refert; scire denique caelum distingui stellis, quia sensus rite dispositi id evidenter perspiciunt. At vero responsum istuc pro his quinque veritatum generibus (quibus ceterae omnes sunt consimiles (1) non aliud motivum exhibet, nisi aut immediatam rei evidentiam, aut legitimum ratiocinium, aut auctoritatem fide dignam. Ergo, te ipso fatente, veritatis criterium, si pro assentiendi motivo usurpetur, in his tribus, quae sanximus, poni oportere dicendum est.

63. Attamen non inficior motiva eiusmodi, ut in usu ab omni errore facile liberentur, debere Logicae praeceptis dirigi et institutis; quae, quomodo et quando fidendum sit evidentiae; quaenam sit auctoritas plenam exigens fidem; quibus regulis adstringi ratiocinatio, quaeve sophismata vitare debeat, decernatur. Atque hoc sensu duntaxat Leibnitii sententia probari posset. Verum id non tollit quominus tria a nobis recensita iure meritoque criterii nomen sibi vindicent.

ARTICULUS TERTIUS

De sensu naturae communi.

64. Ut perennis et constans testatur experientia, extant in toto hominum genere iudicia quaedam stabilia uniformia et communia, quae aetate non contabuere, sed cum ipsis saeculis quodammodo inveterarunt. Eiusmodi sunt potissimum, quae ad vitam humanam alendam tuendamque et ad mores dirigendos maxime pertinent. Exemplo sint haec praesertim: Deus existit; cultus ipsi impendendus est; honestum a turpi distinguitur; colendi sunt parentes, animus humanus fato corporis est superstes; praemia iustis, poenae nocentibus in futuro aevo retribuentur; atque alia generis eiusdem. Iudicia haec quae Aristoteles communes sententias κοινὰς δόξας appellavit, nonnisi a natura proficiscuntur. Si enim effectus non

(1) Vide quae diximus c. 2 art. 1 ubi universa humanae cognitionis obiecta explete cumulateque partiendo, ea adstructis his generibus contineri abunde conspeximus.

superat causam; effectus universalis permanens, uniformis causam pariter uniformem permanentem universalem postulat. At vero in hominibus loco, natione, tempore, institutis, moribus atque aliis, quae individua viritim spectant, inter se differentibus omnia quae aut natura non sunt, aut non ab ipsa promanant, maximopere variantur. Iudicia igitur istiusmodi naturam ipsam auctricem habent et quasi fontem. Age vero, vis illa a natura rationali promanans, qua mentes hominum ita informantur, ut unanimiter in iudicia haec erumpant vel inviti, ***sensus communis*** nomine usurpatur. Quae porro inde dictantur hos praesertim characteres sibi vindicant: I. universalitatem, diuturnitatem, constantiam; II. convenientiam cum naturae principiis; III. exclusionem ceterarum causarum, ex quibus eorum origo repeti possit. Quod itaque iudicium his instructum est notis, id ad sensum communem pertinebit: secus aliunde ducere potest originem, puta ex praeiudicio, educatione, moribus affectibus animi, aliaque non communi omnibus causa.

65. His rite constitutis elucet huic communi naturae sensui falsum subesse non posse. Cum enim hic, ut diximus, a natura rationali ortum ducat, tale sortitur principium, quod falli revera non potest: quandoquidem naturam rationalem a Deo recepimus, cui proinde tribuatur oportet quidquid naturali, perenni, et ineluctabili propensione ac necessitate procedit. Si igitur natura rationalis ea vi, quam sensum communem diximus, genus humanum in errorem abriperet: error ipse in Deum esset refundendus, quo nihil impium magis, ac absurdius proferri potest (1). Hinc patet validissimum argumentum ex hocce communi sensu desumi posse ad veritates, pro quibus militat, comprobandas. Tunc enim testimonio ipso naturae docemur; si quidem, ut scite Tullius (2); omni in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est. Nec error ex contingenti aliqua causa aut impedimento proveniens timeri debet. Natura enim in uno vel altero deficere aliquando potest, at in maiori parte non deficit.

66. At enim cur inter criteria aut media veritatis hoc etiam non recensuimus? Repono id fieri non oportuisse, quippe cum, si sensus naturae communis in sui origine spectatur et prout in singulis viget hominibus, a ceteris veritatis criteriis revera non differat. Hoc tamen addit, quod illa non prout singulos afficiunt, sed prout in tota hominum collectione se produnt sumantur. Hic enim naturae sensus, ut ex dictis patet, in dispositione illa animi situs est

(1) Hic circulum vitiosum non offendimus propterea quod ipsa Dei existentia ex communi etiam naturae sensu soleat demonstrari. Nam in praesenti apud eos loquimur, qui illam ultro fatentur; quae ceteroqui tot firmatur argumentis, ut hoc non egeat. Ceterum qui ob hunc metum istinc abstinere mavult, poterit is argumentum validissimum inde depromere, quod natura rationalis, ex qua sensus iste naturae profluit, nisi verax statuatur, totum cognitionum nostrarum aedificium, ut male materiata domus, imo destituta fundamento, ruit funditus, ipsaque nobis adimitur intelligentia.

(2) Tuscul. I. 2.

singulis hominibus innata, qua, sine arte aut disciplina, solius naturae ductu in veritates, praesertim aliquas, erumpimus; easque ex principiis quibusdam per se notis aut ex ipsis quandoque animi naturalibus propensionibus rudi imperfectaque ratione, ob culturae carentiam, derivamus. Non enim iis suffragamur, qui, sensus communis naturae nomine, vim, nescio quam, ab intelligentia et ratiocinatione diversam interpretantur, qua homines in iudicia quaedam caeca, non per se immediate evidentia, nec comperta experimentis, nec ratiocinio derivata prorumpant. Enimvero haec opinio nunquam mihi persuaderi potuit, eaque videtur nescio quid simile contineri *iudiciis syntheticis a priori* a Kantio adstructis, quae non experientia sed ex fundo rationis emergerent; nec tamen propter evidentem nexum idearum, aut ratiocinii deductione notescerent. Quae sententia copiose in ontologia exponetur planeque refutabitur. Et sane si mens sine motivo obiectis assentiri nequit, eo fere modo quo oculus sine luco corpora spectare non potest: qui fiet ut iudicia proferat rationalia, quin ea aut per se evidentia esse conspiciat, aut aliunde ratiocinando derivet? Qua sufficienti ratione in obiecto posita, aut assentiendi motivo ad assensum istiusmodi raperetur? Equidem nullum video. Nec dicant sic esse oportere, propterea quod iudicia non pauca difficiliora communis sensus complectatur, quae a rudibus ratiocinando deduci nequeant. Nam si res accurate consideretur, videbuntur ea faciliora esse fortassis quam putantur, et captui etiam rudium accomodata, qui ex communibus rationis principiis aut a natura manantibus appetitionibus, prona quidem, at rudi imperfectaque ratiocinatione, propter non excultam mentem, illationes eas eliciant. Et sane quae difficultas tanta captum hominis ratione utentis omnino superans reperitur in eo, quod Dei existentia ex mundo visibili; animi immortalitas ex felicitatis desiderio; retributio futura post mortem ex improborum prosperitate praesenti, et idem dic de ceteris, eruatur? Nec obest quod rudes eiusmodi ratiocinia explicare quandoque nesciant: multa enim in doctis etiam contingunt quae, si explicari velint, magnam ingerunt difficultatem. Aliud enim est actionem exercere, aliud ipsam explanare. Illud quoad principia, de quibus agitur, utpote humano generi necessarium natura indidit; hoc utpote non absolute in omnibus requisitum, arte et disciplina comparandum reliquit. Quare cum hac vulgus destituatur; mirum esse non debet si rudis demonstrationes, quas conficit, nec sibi nec aliis norit enucleare.

67. Altera significatione, a praecedenti diversa admodum, sensum naturae communem interpretatus est De-Lamenais (1), cum nimirum non tam pro sensu, quam pro consensu et auctoritate humani generis veritatem quamcumque testantis intelligens; ipsumque sic acceptum pro norma statuit universali ac unico veritatis criterio, sine quo nullius obiecti certitudinem, ne excepta quidem sui met ipsius existentia, assequi unquam homo posset. Verum hac sententia nihil abs-

(1) Vide Essai sur l'indifference en mat: de Relig. ch. XIII, utque alibi.

urdius afferri poterat aut humanae scientiae perniciosius. Principio enim si, ut auctor eiusque schola comminiscitur, nihil certi nobis constat, nisi ceterorum hominum consensione firmetur: nonne in perenni dubio et scepticismo omnino ineluctabili tota vita versaretur humana? Impossibile enim est reliquorum hominum sententiam, quantum satis sit ad consensum universalem conflandum, percontari; nec homines ad id faciendum a natura reapse impelluntur, quemadmodum ex communi eorum paret consuetudine. Quare argumento, ut aiunt, ad hominem sic De-Lamenais lepide possemus coarguere: quod communis sensus dictat, id, se fatente, ratum est ac indubium; atqui sensus communis naturae dictat posse per cetera individua criteria certitudinem acquiri, ipsisque esse fidendum, quin antea quid ceteri sentiant, innotescat; ergo, si ipse sibi constare velit, hoc ut indubium et ratum largiatur oportet. Et re sane vera, ut per totum caput secundum explanavimus, facultates hominis individuales, modo valeant et caveantur impedimenta, circa obiectum, in quo versantur, illudi reapse non possunt, quin rationalis natura hominis destruatur. Quid igitur opus est ad universale isthoc generis humani confugere testimonium? Sed fingamus parumper illuc esse confugiendum, nonne circulo, ut aiunt, vitioso obvolveremur? Nam hoc ipsum universale testimonium per individuales nostras facultates arripere ac scire deberemus. Ex De-Lamenais igitur sciscitamur, utrum illae certitudinem in hoc praebeant, nec ne? Si praebere reponit, se ipso refellit; cum fateatur individuales hominis facultates suppeditare aliquando certitudinem, quin universalis accedat consensio: eaque proinde sententia secum ipsa pugnabit. Sin vero non praebere inquit, tum de ipso universali testimonio dubitandum, inque ineluctabili persistendum erit Pyrrhonismo. Itaque fateor equidem ab individuali sensu pertinaciam esse removendam; in quo forte peccasse videntur aliquando Cartesiani. Fateor etiam individualem evidentiam, si quando universali repugnet, continuo uti deceptricem esse reiiciendam (1). At hoc non impedit quominus ipsa, cum rite adhibetur studioque partium ac praeiudiciis vacat, con norma veritatis habenda sit. Imo etiam si vera iudicare volumus, haec pugna, cum accurato ac sincero examine utimur, impossibilis prorsus est. Nam aut in immediatis fingitur iudiciis, et haec nequeunt apparere aliter quam sunt; vel in illationibus, et hae etiam, si ad trutinam ratiocinium revocetur ac principia unde progreditur attente perpendantur, prudenti cuipiam et veritatis ama-

(1) Egregie huc faciunt Augustini verba sic aientis » veritas nec mea est nec illius aut illius, sed omnium nostrum, quos ad eius communionem publice vocas, terribiliter admonens nos, ut nolimus eam habere privatam, ne privemur ea. Nam quisquis id, quod tu omnibus ad fruendum proponis, sibi proprie vindicat, et suum vult esse, quod omnium est, a communi propellitur ad sua, hoc est a veritate ad mendacium; qui enim loquitur mendacium, de suo loquitur. (Confess. lib. 12. cap. 25.)

tori utrum rectae sint nec ne dilucide apparebit. Nulla igitur ratio est cur sibi contradicenti ac naturae reluctanti Lameniano systemati assentiamur; quod auctor ipse, plus quam par aut honestum erat, exemplo suo confutavit; qui a vere universali auctoritate se seiungens non modo peculiari suo indulsit ingenio, sed etiam de spatio curriculoque deflectens sapientiae nefaria sensa et pestilentissima turpiter amplexus est.

ARTICULUS QUARTUS.

De Scepticismo.

68. Thomas Iouffroy (1) duplicem distinguit scepticismum: alterum *facti* quem in ignoratione reponit earum quaestionum, quae potissimum humanitatis intersunt; alterum *iuris*, quem ita definit (2) ut sit animi quaedam ad nihil admittendum dispositio, examine innixa mediorum, quae ad attingendam veritatem habemus; ex quo quispiam ad hanc devenit illationem: *nihil posse a nobis certo cognosci*. Posterior hic, ut vides, ad philosophos pertinet: de quo propterea non nihil attingemus. Primus itaque philosophorum, qui scepticismum apertius professus est, quantum historiae perhibent, Pyrrho fuit (3), ex quo *Pyrrhonismi* ductum est nomen. At omnium maxime scepticorum causam, scientifico (si ita loqui fas est) apparatu, egit inter veteres Sextus cognomento Empiricus, inter recentiores vero Baylius, qui prolixe refutatus est a Crusatio, cum Petrus de Villemandy Sextum Empiricum aliosque antiquos Pyrrhonistas sumpserit refellendos. Qui sequuti sunt sceptici, hi bifariam dividuntur. Alii enim de omnibus omnino dubitandum esse voluerunt; alii vero vel de rebus tantum sensu perceptis, vel de obiectis duntaxat naturalibus, exclusis iis quae divina auctoritate firmantur. Age vero quid de capitali hac philosophiae labe, meo iudicio sentiendum sit gradatim aperiam.

69. Principio aio perfectum scepticismum ex vera animi sententia chimeram esse, aut certe delirium. Fieri enim nequit ut quis, dum suae mentis adhuc est compos, de omnibus reapse dubitet. Cum enim ad obiecta, quae aut immediate ab aliqua cognoscendi facultate percipiuntur, aut legitima ratiocinatione ex immediate perceptis derivantur, pro certis habenda vi naturae incitemur: esse profecto non potest ut de his mens sana dubitet; si quidem natura exui nequit, et omnes adversos conatus, qui in

(1) Cours de droit naturel t. 1. leçon. X.

(2) Ibidem sic inquiens » Le scepticisme c' est une disposition de l' esprit à ne rien admettre fondée sur un' examen des moyens que nous avons d'atteindre la verité qui a abouti à cette conclusion, que nous ne pouvions rien connaitre avec certitude. Voila la rigoureuse définition du scepticisme: j'appellerai ce scepticisme — la, qui est le veritable, scepticisme de droit

(3) Vide Sextum Empir. Hypotyp. l. 1. c. l.

ipsa nulla ratione fundantur, necessario superat. Necesse est (ad rem Tullius (1)) ut libram ponderibus impositis deprimi, ita animum perspicuis cedere. Quare qui perfectum scepticismum profitentur, ipsi sibimet contradicant oportet; et licet non verbo, re tamen ostendunt plurima a se tanquam certa atque indubia prorsus admitti. Et re quidem vera nonne etiam istiusmodi homines ad usus vitae communis et humanae se accomodant? Cibo statis horis reficiuntur, somnos capiunt, vitant pericula, negotia contrahunt, cum aliis sermocinantur, locant vel conducunt, valetudinem curant, propulsant iniurias, damnum inferentibus irascuntur? Quomodo haec praestare possent, nisi aliqua, ne dicam innumera, vel obiecta, vel principia, vel criteria pro certis atque inconcussis haberent? Hinc de his hominibus ridicula prorsus enarrantur, ut ni fallor de ipso Pyrrhone, qui cum pollicitus esset se deinceps in via nec equos nec currus nec ulla occurrentia pericula vitaturum: tamen cum rabido cane invaderetur fugam arripuit. Qua de re cum postea ab amicis argueretur, respondisse fertur: *difficile esse naturam exuere, conandum tamen.* Simile accidit Diodoro qui motum localem denegabat. Is cum aliquando humi procidisset, atque humerum cum dolore amotum retulisset; continuo medicum a quo curaretur accersiit. At facetus medicus curam detrectavit inquiens: casum illum non contigisse, quippe cum aut procubuisset loco ubi erat, aut loco ubi non erat; totumque obiecit Diodori sophisma. Verum ille moerens, per Deum deprecari medicum coepit ut, missis nugis, curam festinaret. Quo responso patefecit ea, ad quae pro certis habenda vi naturae cogimur, non ex animi sententia in dubium revocari, sed aut iocandi aut se ostentandi gratia. Ceterum rerum evidentium certitudo adeo invitos quoque perrumpit animos, ut Cartesius ipse dum dubium universale tanquam exordium philosophandi adstruere nititur; tamen violentiam quam in hoc animus experitur non dissimulet: atque in medit. prima contineri non potuerit quin haec proferret: » Pleraque tamen alia sunt de quibus dubitari plane non potest. . . . ut iam me hic esse, foro assidere, hyemali toga esse indutum, chartam istam manibus contrectare, et similia; manus vero has ipsas, totumque hoc corpus meum esse qua ratione posset negari? Nisi me forte comparem nescio quibus insanis, quorum cerebella tam contumax vapor ex atra bile labefactat, ut constanter asseverent vel se esse reges, cum sint pauperrimi, vel purpura indutos, cum sint nudi, vel caput habere fictile, vel se totos esse cucurbitas, vel ex vitro conflatos. Sed amentes sunt isti, nec minus ipse demens viderer, si quod exemplum ab ipsis ad me transferrem »

70. Deinde assero, cum homine qui perfectum scepticismum sive sincere sive simulate profitetur disputari non posse. Nequit enim institui disputatio, nisi aliqua uti certa et inconcussa supponantur. Supponendum enim est in primis nos veritatem aliquam percipere

(1) Acad. I. 3.

posse ; quod nisi ratum ante habeatur nihil certe proficit demonstratio. Supponendum item est demonstratione, si legitima sit, ad veritatem capessendam nos adduci. Proinde etiam supponenda sunt principia, quibus innititur demonstratio, et a quibus ad ratiocinandum exordiamur. Supponendum est pariter nos non in somno aut delirio, sed in vigilia et sanitate versari, atque alia his similia; de quibus si ambigas, demonstratio ipsa, et illationes quae derivantur, simul vacillent necesse est. At vero perfectus Pyrrhonismus si sibi constans esse velit, de his omnibus dubitationem includit. Unde crudum, ut aiunt, laterem lavant ii, qui perfectos scepticos convincere, eosque vigiles esse mentisque non captos demonstrare studiose conantur. Enimvero ad disputandum cum scepticis quod attinet, haec retinenda omnino sententia videtur: eos, si aliqua uti firma ac indubia, seque in vigilia et sanos esse largiuntur, ac proinde si perfectos Pyrrhonistas non agunt, ex iis quae admittunt coargui posse, saltem demonstratione ad hominem, et in perfectam sanitatem adduci; sin autem se de omnibus prorsus dubitare profiteantur, tunc probe observandum ludicre ne id an serio dicant. Si ludicre, ludicre irrideantur; sin autem serio, tamquam mentis egeni perito medico ut helleboro curentur tradi debent.

71. Denique si non ad eos qui omnia negarent convincendos, sed ad rem alioquin certam explanandam rationes nonnullae postulentur, quibus ostendatur scepticos dubitatione sua agere insipienter, naturaeque reluctari, ea in primis afferri possunt, quae mediorum quibus ad notitiam rerum capessendam a natura instructi sumus infallibilitatem ostendunt. Nam si conscientia intelligentiaque hoc ipso, quod in dubium vocatur, uti certa adstruitur; si sensus, dum valent, circa proprium obiectum falli nequeunt; si hominum etiam auctoritas norma est veritatis; si recta ratiocinatio ad verum adducit, atque ad his fidendum ab ineluctabili naturae vi cogimur: nonnisi stulte ac naturae vim inferendo de omnibus dubitaretur. Praeterea ostendi etiam posset, dum generale dubium sanciunt, sibimet ipsos dissidere atque in patenti repugnantia versari: non solum quia quam certitudinem verbis inficiantur, eam praxi et opere confitentur; sed etiam quia in oppugnatione ipsa dogmatismi se dogmaticos produnt. Nam ad scepticismum obtrudendum ratiocinatione utuntur; atque ideo illius vim et principia pro certis assumunt: secus irritos conatus exererent. Itemque cum dicunt nos a sensuum relatione decipi, omnesque cognitiones inania esse phantasmata, non paucas veritates statuunt; nimirum sui existentiam, facultates cognoscendi, harum repraesentationes fallaces, obiecta his non respondentia, aliasque multas positiones, quibus petitione principii ac sententiarum pugna peccare produntur. Postremo, argumentatione, ut aiunt, *ad hominem* ostendi etiam posset eos ipsa dubitatione veritatis certitudinem adstruere. Quod peracute, ut solet,

(1) Lib. de vera Relig. c. 39. n. 73.

praestitit Augustinus (1) his verbis « Deinde regulam ipsam, quam vides, concipe hoc modo : omnis, qui se dubitantem intelligit, verum intelligit, et de hac re quam intelligit certus est : de vero igitur certus est. Omnis igitur, qui utrum sit veritas dubitat, in se ipso habet verum, unde non dubitet; nec ullum verum nisi veritate verum est. Non itaque oportet eum de veritate dubitare, qui potuit undecumque dubitare »

FINIS.

LOGICAE CONSPECTUS

LECTORI MONITUM

AD PHILOSOPHIAE AUDITORES PRAEFATIO PARAINETICA

PRAENOTIONES

IN UNIVERSAM PHILOSOPHIAM

CAPUT UNICUM

INSTITUTIONES LOGICAE

PARS PRIMA

SEU LOGICA GENERALIS.

CAP. I.

De simplici apprehensione eiusque signis.

CAP. II.

De iudicio eiusque signo.

CAP. III.

De inferendi actu, deque ratiocinii expressione.

PARS ALTERA

SEU LOGICA SPECIALIS

CAP. I.

De veritate, mentisque humanae quoad illam statibus.

CAP. II.

De mediis cognitionis humanae.